

a Justitia excidentium correptionem effutirent. Ceterum, an aliunde Gratia efficax Statu Innocentiae propria, & Adamo ad perseverandum necessaria, occultis de causis hujus Statu propriis denegata illi fuerit, Augustinus hac occasione non expendit, quia obmurmurantium Monachorum scrupulis eximendis necesse illi minime videbatur; qui certe in eodem cum Adamo Statu constituti non erant: sed hoc aliis in Libris expendit, pro ut suo conducit Instituto; Gratiisque efficacem Adamo, Angelisque cadentibus ad perseverandum necessariam negatam ostendit, tum quia est Beneficium indebitum; tum quia Divinae Providentiae Leges postulabant, ut Deus quandoque Creaturam suam defectibilitati relinqueret: tum etiam, ut & Adam ex proprio lapsu, & boni Angeli ex lapsu Malorum discere potuerint propriae Naturae

imbecillitatem; quo inde facilius, ac plenius Humilitatis Virtutem colere possent; tum demum, ut ipsa negatione Gratiae, quae quibusdam Angelis subtrahenda fuerat, & primo Parenti, majorem suam erga alios dilectionem ostenderet, eoque ad gratiarum Actionem fortius induceret: quam etiam rationem insinuat Apostolus ad Rom. cap. 9. *sustinuit in multa patientia vasa irae apertae in interitum, ut ostenderet divitias Gloriam suam in vasa Misericordiae, quae preparavit in Gloriam.*

Hactenus de Statu Innocentiae satis dictum: de Statu Naturae lapsae dicendum amodo: ac primo de peccato Originali, cujus vitio lapsi sumus. Erit hoc subsequenti Exercitationum amplissimum Argumentum.

DISPUTATIO TERTIA.

De Statu Naturae lapsae, seu de peccato Originali.

PRÆLECTIO PRIMA.

Peccati Originalis Dogma ex Veteri, & Novi Testamento comprobatur.

DE Statu Naturae lapsae Tractationem mihi nunc habituro offert se statim in limine Catholica Veritas stabilenda, quam veluti totius hujus Tractationis basim praefigere necesse est. Fidei Caput intelligo de Originali peccato, quo vel uno lapsam Naturam experimur, atque dignoscimus quotquot Catholico Instituto, ac Nomine decorati sumus. Ecclesiae quippe Professio est, Adam peccatum Posteris omnibus tradidit semine proprio, non externa duntaxat imputatione, sed vera, atque interna contracta macula, qua & Originali Justitia, & Gratia sanctificante destituti nascimur irae Filii, Deo exosi, aeternae mortis damnationi deputati.

Hoc dum praesenti Theologica Exercitatione adversus Ecclesiam Catholicam Hostes probandum aggredior, universis plane bellum indico: Gentilibus, quorum judicio minus aridet, ex uno Protoparente in universum Hominum Genus peccatum aliquod derivari: Hebraeis, qui nihil istiusmodi ex veteri Testamento, cujus unius Suffragio nituntur, extendi posse sibi putant: Haereticis Pelagianis, quos in novissimis Socinianis redivivos legemus, qui Homines eodem in Statu nasci fabulantur, quo fuit Adam ante peccatum: addam etiam, nonnullis e Catholicorum numero minus cautis Theologis, qui cum facta testaque Fide peccatum Originale diffiteri non possint, illud tamen Ecclesiae Patribus Augustini aetate superioribus minus notum ariolantur. Quare, ut ordine quodam in Universos arma convertam, Dogma Catholicum de peccato Originali veteris Testamenti Suffragiis asserendum primo, mihi sumo adversus Hebraeos; & novi Testamenti Oraculis contra Pelagianos in Socinianis redivivos; tum vero Patrum Augustini Saeculo superiorum Calculis contra Socinianos, nonnullosque Theologos minus prudentes, ac minus aequos; rationibus tandem, quantum Argumenti sublimitas pa-

titus; contra Gentiles, imo & contra omnes; qui certe, nisi Homines esse desierint, Rationi nuncium mittere nullatenus possunt.

Ab utriusque Testamenti Oraculis ducam exordium; Hebraeosque simul, ac Pelagianos praesenti Exercitatione aequo pede pulsabo; illos quidem veteri, istos novo Testamento. Prodit primo Jobi in Sterquilinio jacentis Oraculum, quo sic Deum Optimum compellabat *Cap. 14. Libri*, qui ejus nomine inscriptus est: *quis potest facere mundum de immundo conceptum semine; Nonne tu, qui solus es? En fordis, & immunditiae genus ex immundo semine contractum. Quodnam porro illud, nisi quod Originalis peccati nomine nuncupamus? Immunditiam enim Jobus intelligit, quam solus ille abstergere potest, qui solus est mundus: contractam igitur in Anima seditatem intelligit; cum corporis sordes abstergere & homines possint. Erit, quod Hebraei fortasse reputant: ita sane in nostra Vulgata legi; *secus tamen in aliis Versionibus, quas Hebraici Textus tenaciores venditabant. Ita sit, per me licet; nec jam Versionem Vulgatam Ecclesiae Catholicae usu consecratam consulamus, sed illam ipsam, quam pluris omnibus Hebraei faciunt, a Septuaginta Judaeis Interpretibus elaboratam trecentis plus minus ante Christum annis; nunquam tamen laqueum effugient. Ita quippe apud Septuaginta Interpretes legimus eo loci: *Quis enim purus a sorde, est unus dies sit vita ejus super terram? Quae porro immunditia fingi potest, a qua nec Infans unius diei immunis sit, nisi quae ab ipsa Conceptione omnibus hominibus haeret, & in omnes traducit vitio semine propagatur? Quo nomine nil, nisi Originale peccatum, intelligit Ecclesia Catholica.***

Accedit in ejusdem perfidia Judaica confutationem Davidici Psalmi 50. notum Oraculum: *Ecco enim in iniquitatibus conceptus sum: & in peccatis concepit me Mater mea. Neque enim de Concupientis, seu Parentis iniquitate, atque peccato Davidem locutum fingere quisquam potest; quasi Parentum Vitium eo Versiculo culpatae voluerit, non contractum ab semetipso peccatum humiliter confiteri; cum ex Sancto Conjugio,*

non Adulterio, aut Fornicatione proventus fuerit Propheta Sanctissimus. Quin & totus Psalmi contextus facit indicat, Davidem non aliena, sed sua hic peccata desere; nec modo suam hic iniquitatem confiteri, sed illam, quae peccatorum omnium Aequalium prima radix, ac velut ingenitum reputatur; quod Originali peccato proprium est. Cum etenim dixisset Sanctissimus *Poenitens, tibi soli peccavi, & malum coram te feci: ut justificaris in sermonibus tuis, & vincas cum iudicaris; peccati, ac mali a te perpetrati primam causam, ac radicem assignat: ecce enim in iniquitatibus conceptus sum: & in peccatis concepit me mater mea. Neque vero reponere Hebraei possunt, Davidem plurali numero fuisse locutum in iniquitatibus; in peccatis; cum contra Originale peccatum unicum a Christianis dicatur esse: quandoquidem in Hebraeo, cui illi tenacius haerent, singularis numerus scriptus est. Quanquam nec sine Mysterio plurali numero designari poterit; seu quod Originale peccatum ceterorum omnium sit crigo; seu quod in Adam peccato, quod nobis transfusione sit proprium, multiplex iniquitas concurrerit; Superbia, Inobedientia, Intemperantia; quod & ipsi Judaei una nobiscum profiterentur.*

Verum longe facilius Novi Testamenti Suffragio confutatur Pelagianus, & quotquot illorum Errorum superiori Saeculo renovantur in Germania Sociniani. Uti enim in Christi Redemptoris Gratia commendanda totum est novum Testamentum; ita magna ex parte in explicanda labe in nos ex Adam peccato derivata occupatur; ut, exaggerato morbo, Medici necessitatem agnosceremus. Achillis instar Augustino fuit olim in Pelagianis exagitantibus Apostoli ad Rom. scribentis *Caput 5;* quod Solis veluti radiis exaratum videret ad haereticam Mentis nebulam dissipandas; ita quippe Adam, & Christi Antitheses notat: *propterea sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt; & paucis interjectis: igitur sicut per unum delictum in omnes homines in condemnationem; sic & per unum Justitiam in omnes homines in justificationem vita. Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi; ita & per unius obedientiam Justitiam constitutur multi. Quibus sane verbis peccatum in nos ex Adamo derivatum, omnes ex hoc uno in condemnationem traditos, omnes demum peccatores ex uno constitutos esse, perspicue declarat Apostolus.*

Jam quid Pelagianus eo telo petitos Augustino respondisse existimatis? Hoc unum; nempe peccatum in hunc mundum intrasse, omnesque in uno homine primo peccatores fuisse constitutos imitatione, non propagatione; quatenus videlicet Adam peccandi viam nobis omnibus aperuit, eumque nos peccando imitatur; non vero quod peccatum quoddam, ex illo nascendo, traxerimus. Verum insulsum illud Pelagianorum interpretamentum multa revincunt. Primo quippe Apostolus Adam, & Christi instituit Antithesim; sicque per unum hominem asserit in ventum peccatum, sicut per Christum collata Justitia est. Perspicua verba sunt: *sicut per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi: ita & per unius obedientiam Justitiam constitutur multi. Justitiam autem a Christo imitatione sola acceptam quis dixerit? Cum & veteres Sancti, qui Christum praecesserunt, ideoque non potuerunt eum imitari, Justitiam suam illi acceptam referant; & Parvuli, qui Christum sicut cognoscere, ita & imitari non possunt, per ipsum justificentur.*

Non itaque per primam hominem peccatum in ceteros aditum habuit imitatione sola: sed sicut Christus occulta inspiratione Gratiae suae iustos efficit; ita & Adam occulta Naturae depravatione, corruptela, labe Posteros suos omnes constituit peccatores.

Secundo; si de peccato per imitationem tantum in hunc mundum effuso locutus esset Apostolus, per Diabolum potius peccatum intrasse asseruisset, qui primus peccavit; quam per unum hominem Adam; aut certe primam peccati originem in Hevam referuisset; cum hac ex humano Genere prima deliquerit. In Adam vero consulto refudit Apostolus, a quo, utpote totius Naturae Capite, tota Propago corrupta est.

Sed & Apostoli verbum vim facit apertam Pelagianum illud Effugium: quo pacto enim per Adam inobedientiam peccatores constituti sumus, ut ait Apostolus, si peccandi duntaxat Exemplum nobis exhibuit? Quo pacto iudicium ex hoc uno in condemnationem nostram factum esset? Gravius certe quidpiam iis verbis indigitatur, quam solum peccandi Exemplum nobis exhibitum. Quid quod & mortem eo modo in mundum intrasse ex Adamo, docet Apostolus, quo peccatum? Quis vero nos imitatione duntaxat Adami mori sibi sinxerit; an non potius mortem Sententia lata consecutam ex admisso peccato profiteatur, dicente Apostolo: *Stipendia enim peccati, mors; ad Rom. cap. 6. & iterum: in Adam omnes moriuntur 1. Cor. cap. 15;* ita plene ea Pelagianorum Effugia praclusit S. Augustinus *Lib. 1. de Peccato merito, & remis. cap. 9. & 10. & Lib. 4. contra duas Epistol. Pelagian. cap. 4.*

Hoc idem Catholicae Fidei Dogma confirmat, quod habet idem Apostolus *Epistol. 2. ad Corinth. cap. 5:* *si unus, inquit, pro omnibus mortuus est; ergo omnes mortui sunt: & pro omnibus mortuus est Christus: ut, & qui vivunt, iam non sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est, & resurrexit. De morte peccati locutum Apostolum, nemo negaverit; de ea quippe morte loquitur, pro qua tollenda, atque solvenda mortuus est Christus. Porro illos omnes mortuos dicit, pro quibus Christus mortuus est. Aut ergo Christum pro Parvulis mortuum negare oportet, aut illos peccato mortuos confiteri necesse est. Quo vero peccato mortuos illos asseremus, nisi quod origine trahitur? Cum nullum adhuc eis innotuit Voluntatis arbitrium, quo personalia peccata admittere valeant.*

Nil minus Pelagianis incommodum erat, quod legimus *ad Ephes. cap. 2:* *Eramus natura filii irae sicut & ceteri:* hoc est a primo Naturae nostrae exortu, sive ex nativitate, antequam quidquam propriis actibus gereremus, irae Dei, atque Vindictae eramus obnoxii. Irae porro, atque Vindictae Dei obnoxii nemo est, nisi ob peccatum: peccato igitur obnoxios Homines nasci necesse est secundum Apostolum. Atque hunc quidem esse Scripturae sensum, satis intelligit quisquis scribentis Scopum, & Institutum paulisper attendiderit. Judaeorum quippe gloriationem retundit hoc loco Divinus Apostolus, qui de carnali generatione ex Abraham solebant admodum superbiere, ac sese praesertim supra Gentiles effere, quod hi ex Parentibus idololatriae prognati essent. Quam jactantiam, ac petulantiam, utpote immoderate exercitam, confutaturus ait, Judaeos Naturae irae filios esse, sicut & ceteros, nempe Gentiles: hoc est; illos, tamen ex Abrahamo prognatos, irae, atque idcirco peccato nascendo obnoxios esse perinde, ac illos, quos ob nativitatem ex Parentibus idololatriae tractam, tanquam peccatores, & immundos aspuebantur. Quae ratio Apostoli nulla

nulla foret, si Judæos æque ac Gentiles peccatum ex communi Origine vitiatum contrahere nequaquam existimasset.

Coronidem imponit Christi Domini nota Sententia Joan. 3. nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei. Quorsum enim sacro Baptismate renasci tenerentur Parvuli, si mortui peccato non essent? Quo vero peccato mortui; nisi quod vitiatum Origine traxerint, quibus nondum inest Voluntatis arbitrium, ut propria delicta admittant? Quorsum etiam a Regno Cælorum segregari reputantur, si nullo obice detinentur, nullo peccato, quod eis Regni Cælestis ostium occludat, removeatur?

Sunt qui non ab simile Argumentum ex Circumcisionis Sacramento peti posse arbitrantur, quo non Pelagianos modo, sed & Judæos exigent, & ad peccatum Originale confitendum adigant. Ego vero, ut fatear ipse quod sentio, minus efficax adversus utroque Argumentum ex Circumcisione peti contendo. Quamquam enim Originale peccatum Circumcisione deletum olim ultro concedam (quandoquidem id nonnulli Patres agnoscunt) nullum tamen in Sacris Litteris extat Oraculum, quo id ineluctabiliter, ut par est, demonstratur. Quodnam enim illud? Gradum refero, si vel unum proferatur. Certe, si Scripturas consulamus, Circumcisionem institutam inveniemus tum in signum fœderis cum Abrahamo, ejusque Posteris a Deo initum, tum ut sacrum aliquod Signaculum significaret, quo Judaicus Populus a Gentili fecerneretur; nusquam autem, ut peccatum aliquod Originale deleteretur. Imo id falsum esse, innuere videntur Argumenta non levia, quibus reponere difficilior est. Primo enim, longe post institutam ab Abrahamo Circumcisionem, universus Populus Israelis quadraginta annorum spatium mansit incircumcitus; toto videlicet tempore, quo post exitum ex Ægypto in Desertis erravit; idque causæ fuit, cur Deus novam Circumcisionis Legem ediderit. Planus est hac in parte Scripturæ Textus Josue 5. : *Populus autem, qui natus est in Deserto per quadraginta annos itineris latissime solitudinis, incircumcitus fuit: donec consummerentur, qui non audierant vocem Domini.* Quamquam autem congruentes aliqua rationes ab Interpretibus proferantur, ob quas toto illo annorum tractu Hebræi Circumcisionem omiserint; nulla tamen, opinor, satis efficax esse potuisset, ut Sacramentum omitterent, quo peccatum Originale deleteretur; ac sine quo nullus eis in Regnum Cælorum aditus patuisset.

Accedit Controversia celebris habita tertio Christiani nominis Sæculo. Contendebat scilicet Fidas Episcopus Africanus, Pueros octavo duntaxat die baptizandos esse, uti alias octavo die circumcidebantur, Concilium ea de re coegit S. Cyprianus Africa Primas, quid factum esset opus. Re ad examen vocata, in eam Sententiam Concilium abiit, Infantes a partu recentissimos statim baptizari oportere, nec octavam diem expectandum, ut alias ad Circumcisionem conferendam expectabatur. Hujusce sui Decreti rationem Patres protulerunt; quia Baptismo ipsis est opus ad remissionem peccati, quod ex Adamo traxerunt. Id comperit est ex Epistola 59. S. Cypriani ad Fidum. Jam, inquit ego, si Circumcisio, quæ certe ad octavam usque diem protrahatur, ad delendum Originale peccatum instituta fuisset, quis non videret, eam Patrum Africanorum rationem nullius ponderis futuram?

Quare, nullo Argumento ex Circumcisione petito, ex quo Originale peccatum probari nequa-

quam potest, iis ad Hebræos, & Pelagianos exagitandos Argumentis standum existimamus, quæ nos prima fronte protulimus. In Sequentibus hoc idem Fidei Dogma antiqua Patrum Traditione, variisque rationum Momentis confirmabimus.

PRÆLECTIO II.

Peccati Originalis Fides Patrum Veterum Traditione, aliisque rationum Momentis evincitur.

Post Divinum verbum Sacris Litteris exaratum altera Fidei nostræ Regula est hoc idem Dei verbum ad nos usque continua Majorum ferie derivatum. Hoc nos Traditionem appellamus; quam nunc ad munendam Originalem peccati Fidem aggredimur expendendam, ut Socinianos, nostri jam temporis Pelagianos, eventilemus; qui, quæ valent, fabulandi licentia imprudenter effutiunt, Augustinum primum in Ecclesiam suam illud Originale peccatum inexistisse, quod ante ipsum nemo Veterum somniarat: utque nonnullos minus cautos Theologos resellamus, qui hoc idem Originale peccatum non ita precise Ecclesie Patribus innotuisse audacter effutiunt. Quocirca probandum aggredimur impræsentiarum, Originale peccatum Patribus Augustino prioribus innotuisse, illudque ab eis, ut Dogma Catholicum ab Apostolo traditum, agnitum esse: ut hinc Univerſi palam cognoscant, quantum Sociniani ea in parte fallantur, & fallant. Neque vero Augustinus ipse hoc Argumenti genus omiserat, contra Pelagianos arma conferens: imo hoc illos sæpe telo perierat; & Originalem peccati Fidem Patrum ætate sua superiorum Suffragio communiarum; sic ut ex unius Augustini lectione internoscere Sociniani potuissent, nihil ab illo in Ecclesia novatum esse.

Patrum in eo asserendo Fidei Dogmate chorum ducit S. Justinus Martyr, qui Apostolos prædicantes audierat, in Dialogo cum Triphono Judæo; ubi de Christi Baptismo in Jordane loquens rationem assignat, cur Christus ad ætatem baptizandus accessisset: *Ad ætatem, inquit, cum non ideo venisset, pro comperto habemus, quod vel Baptismi lavatione, vel Spiritus in specie Columbae adventu opus ei fuerit. . . . Sed humani Generis causa, quod per Adam in mortem, & fraudem, seductionemque Serpentis conciderat; ut interim propriam pro se maligne agentis cuiusque culpam taceam. Ex quibus perspicuum est, credidisse Justinum Martyrem, Homines non modo a propriis peccatis purgari per Christum, sed & ab alio quodam, in quod per Adam conciderunt; cuius poena mors est; cui obnoxii sunt Univerſi. At illud ipsum est, quod nos peccatum Originale vocitamus.*

S. Justino Martyri dat manus S. Irenæus Martyr & ipse, ac eisdem pene ætatis Lib. 4. adversus Hæreses cap. 5. : *non aliter, inquit, salvari Homines ab antiqua Serpentis plaga, nisi credant in eum, qui secundum similitudinem carnis peccati in ligno martyrii exaltatur a terra, & omnia trahit ad se, & vivificat mortuos.* En utique plagam ex Adam peccato contractam agnoscit; a qua Christi Redemptione sanantur fauciatæ Posteræ. Hæc vero quænam, nisi Originale peccatum? Illa enim, moriendi necessitas esse non potest; cum ab ea moriendi necessitate Homines Christi Gratia minime redimantur. Eo Testimonio Pelagianos urget S. Augustinus Lib. 1. contra Jul. cap. 3. Luculentius vero idem ille SS. Martyr Lib. 3. quod perdideramus, inquit, in Adam, id est, secundum imaginem, & similitudinem esse

DISPUTATIO III. PRÆLECTIO II.

esse Dei; hoc in Christo Jesu recipiemus. Et paulo infra: *quemadmodum enim per inobedientiam unius Hominis, qui primus de terra rudi plastatus est, peccatores facti sunt multi, & amiserunt vitam: ita oportuit & per obedientiam unius Hominis, qui primus de Virgine natus est, justificari multos, & percipere salutem.* Quo nihil luculentius desiderari potest, ut Originale peccatum ab Irenæo cogitatum demonstratum; imo & asseratum.

Jam quid S. Cyprianum Martyrem appellem? Is sane Dogma istud Catholicum Solis veluti radiis expressit Epist. 59. ad Fidum Episcopum data suo, & Africanæ Concilii nomine; ubi Infantes a partu recentissimos statim baptizandos esse docet, nec octavam diem expectandum, quod Fidus optabat, ut in superioribus diximus; quia Baptismo ad remissionem peccati, quod ex Adamo traxerunt, ipsis est opus. Legenda ex integro Epistola illa, cuius Suffragium Augustinus contra Pelagianos egregie extulit Lib. 1. contra Julianum cap. 3. : *Infans (inquit Africanus Martyr) qui recens natus nihil peccavit, nisi quod secundum Adam carnaliter natus contagium mortis antiquæ prima nativitate contraxit. Qui ad remissionem peccatorum accipiendam hoc facilius accedit, quod illi remittuntur non propria, sed aliena peccata. Quæ verba adeo clara sunt, ut nulla nostra commentatione sit opus.*

Succedit S. Olympius Hispanus Episcopus relictus a D. Augustino loco supra laudato, qui magna Eruditionis, & Sanctitatis fama floruit cælesti Sæculo III. Is in Sermone Ecclesiastico, cuius Auctoritate Pelagianos sæpius exagitavit S. Augustinus, hæc habet, quæ Originalem peccati Fidem luculentius adstruunt: *Si Fides inquam in Terris incorrupta mansisset, ac vestigia defæta tenuisset, que signata deseruit, nunquam Præloplasti mortifera transgressione vitium sparsisset in gemitu, ut peccatum cum Homine nasceretur. En vitium Adami transgressione sparsum in Posteris, & peccatum cum homine natum; quæ loquendi ratione expressum Originale peccatum nemo non sentit.*

Hispano suffragatur Gallus; S. Olympio, inquam, S. Hilarius Pictavorum Episcopus, Ecclesie Catholice adversus ævi sui Hæreticos Defensor acerrimus; qui eandem Fidei veritatem multis confirmavit in Expositione in Psalmum 118., ad illa verba vivet anima mea, & laudabit te: sic enim habet: *vivere se in hac vita non reputat (David) quippe qui dixerit; ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in delictis peperit me mater mea. Scit, sub peccati origine, & sub peccati lege esse se natum.* Et alio in loco, ut refert Augustinus eodem cap. 3. inquit: *Scilicet quia ex peccato omnis caro est, a peccato scilicet Adam Parentis deducta, in similitudinem peccati carnis est missus, videlicet Christus. Quo luculentius nihil desiderari potest.*

Mitto S. Reticum Augustodunensium Episcopum eo in capite ab eodem Augustino laudatum, qui Concilio Romano sub Melchiade Papa celebrato interfuit; S. Basilium Magnum, cuius verba dat Augustinus eodem Libro cap. 5., excerpta ex illius Sermone de Jesu loco duplici; & in Expositione in Psalmum 32. S. Gregorium Nazianzenum Orat. 38., quæ est in Nativitate Christi, ex qua loca quatuor sibi sumit ad probandum contra Julianum Augustinus: aliosque plures Ecclesie Græcæ Patres missos lubens facio, ut in una S. Joannis Chryostomi Sententia penitus investiganda commodius immeror. Cum enim illum suas in partes trahere Pelagiani moliti sint, ejusque adversus Augustinum Suffragium osten-

tarint, in ejus mentem diligentius inquirendum est.

Prodit imprimis, quod legitur in ejus Epistola 3. ad Olympianam: *Nam, inquit, cum Adamus genere illud peccatum admisisset, atque communi Hominum omnium Genus condemnasset. En jam omne Genus Hominum in Adamo damnatum, cum primum Adam peccavit. Rursus idem SS. Doctor Hom. ad Neophytos: venit semel Christus (inquit) invenit nostrum chirographum paternum, quod scripsit Adam. Ille initium induxit debiti; nos sanus auximus posterioribus peccatis. Sic enim vertit verba de verbis S. Augustinus Lib. 1. contra Julianum cap. 6. Quodnam porro Chirographum illud paternum, quod a Christo solvi necesse fuit; cuius & nos debitum posterioribus peccatis auximus, nisi Originale peccatum? Tandem Homil. 10. in Epist. ad Rom. : *Quo pacto, inquit, uno non obediens Adam, universus Orbis condemnatus est. Quæ omnia plane demonstrant, Pelagianos S. Joannis Chryostomi Auctoritate perperam abusos esse, ut Dogma Catholicum de Originalem peccati propagatione infestarentur; perperamque illorum hodie Sectatores Socinianos contra Ecclesie Catholice Fidem, veteremque Traditionem celeberrimam Apostoli locum, quo dixit; per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, (ad Rom. cap. 5.) ad meram imitationem detorisse.**

His omnibus robor addit observatio longe gravissima, quæ viros etiam quibusvis præjudiciis occupatos erudite, atque ab errore removeve possit. Certum est, D. Augustinum Originale peccatum, sicut Fidei Dogma adversus Pelagianos vindicasse; ac non illam solum pro ea asserenda veritate in cælesti Sæculo V. decernisse; sed & omnes Ecclesie Patres, qui aut obiter, aut ex Instituto rem cum Pelagianis habuerunt; Ambrosius, cuius novem Actoritates ex variis ejus Libris desumptas profert Augustinus Lib. 1. contra Julianum cap. 3., ibidem videndas; S. Hieronymus in cap. 3. Jona; Hilarius citatus a D. Augustino Lib. 4. contra duas Epist. Pelagianorum (quem etiam Sanctum appellat) cap. 4. Quisquis autem fuerit Hilarius iste, de quo contentio magna est inter Eraditos, ut admodum Benedictini Monachi Galli in Appendice Tom. 2. Operum S. Ambrosii ad Commentaria in 13. Epist. Pauli; certum est, eum antiquiorem fuisse Augustino, qui illius contra Pelagianos Testimonio utitur, & quem Sancti titulo decorare non ambigit. Certum est præterea, tantum abuisse, ut Sacra, quæ tunc habita sunt, Ecclesie Concilia, & Romani Pontifices, qui tum Ecclesiam moderabantur, Augustinum arguerint, quod quidpiam in Fide novasset; quin potius Dogma illud, uti Catholica Fidei Caput, frequentibus Sanctionibus confirmarunt. Patet id ex Rescriptis Innocentii I. ad Carthaginienses, & Milevitane Synodi Patres de Pelagii & Celestii Erroribus; & ex Zosimi Romani Pontificis Epistola contra Pelagianos, quorum utrumque laudat D. August. Lib. 1. contra Julianum cap. 4. Ex Concil. plenario totius Africae sub Zosimo Papa celebrato Canon. 77. (apud Labbeum Tom. 3. pag. 522.) Ex Caletino I. in Epist. 1. ad Gallicanos Episcopos (eodem Tom. pag. 473.) Ex Gelasio I. Epist. 7. ad Episc. per Pienum (Tom. 5. pag. 301.) Ac demum ex Synodi Araucanæ II. Capitulis 1. & 2. (Tom. 5. pag. 809.) Jam inquit, quæ forte fieri potuisset, ut in Fidei Capite aliquid Augustinus innovasset, aliquidve peccati genus toti Traditioni ignotum commentus esset; nec ullus tamen ætate illa inductam novitatem fuisset subodoratus; nullus Pontificum, Patrumve

coavorum reclamasset: imo potius Universi in hoc idem adituendum & Scriptis, & Canonibus, & publicis Sanctionibus conspirasset? Ita ne excutientes omnes, ac caligantes obtorto veluti naso duxisset Augustinus, ut universis, quas vellet, fabulas propinaret? Ita ne omnes pecudum more pertracti, non quo eundem esset abiissent, sed quo unus illos duceret Augustinus? Quis id credat vel medioeriter sapiens? Ea præcipue ætate temporum, qua tot Hæreses undique pullulantes, Ecclesie Doctores atque Rectores vigilantes adeo postulabant, ut vel minima vocola, quæ novitate aliquam redolere videretur, in causa esset, cur statim Concilia congregarentur, Aristissimumque de illa coram Patribus examen fieret; atque, si forte minus cum antiquis Ecclesie Dogmatibus cohereret, universali consensu respueretur; cavereturque, ne impostum (sub anathematis etiam pœna) a quopiam usurparetur. Fatendum ergo bona fide, nihil ea in parte a Sanctissimo Gratia Divina Vindice novatum esse, uti nostris hisce temporibus garrunt impudentius Sociniani.

Neque vero minus Catholica Veritati adstruenda suffragatur Theologica ratio; qualis nimirum in probandis Fidei Dogmatibus affertur potest; qua nempe certis Scripturæ documentis innititur. Prima petitur ex forma, & sacris Baptismi Ritibus jam ab antiquo, & ante ortam Hæresim Pelagianam usurpari solitis. Quid enim significat verbum hoc, *Ego te baptizo*, nisi *Ego te ablavo*? Id quippe græco vocabulo exprimi, nemo nescit. Quorsum porro hæc ablutio, si nulla Animæ Pueri labes inest, nulla macula? Neque enim futurum aliquem puto usque adeo hebetem, qui ad eluendas Corporis sordes institutum Baptismum opinetur. Quæ autem Puerorum Animabus inesse labes, ac macula potest, nisi quæ Origine trahita est? Fuit etiam hæc priorum Augustino Saculorum Fides, Baptismum in remissionem peccatorum institutum esse. Ita Nicæni Concilii Patres sacro Symbolo professi sunt: *Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum*. Cum ergo Pueri jam a primis Ecclesie sæculis baptizari soliti essent, necesse profecto est, ut peccatum aliquod iis inesse vetus Ecclesia crederet, ad cuius remissionem tingerentur.

Hoc ipsum suadet Baptismatis Cæremoniæ. Jam etenim a secundo Christiani nominis Sæculo Pueri baptizandi, antequam aqua tingantur, Exorcismis, ac sacris Exufflationibus eventantur; Satanae per Patrinos, veluti per Interpretes abrenunciant. Ut quid autem sacri illi Ritibus, nisi Parvulis Diabolus dominaretur? Ut quid vero eis Diabolus dominatur, si nullo peccato tenentur obstricti? Ea ratione contra Pelagianos pugnat sapius Augustinus; iisque Ecclesie, Exorcismis, & Exufflationibus Pueri baptizando factitari solitis Pelagianorum amentiam exufflat; maxime vero *Lib. de Peccato Orig. cap. 40. & Lib. 6. contra Jul. cap. 3.*

Rationem alteram petebat SS. Doctor ex ea Servatoris Sententia: *nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei; Joan. 3.* Optimus enim, atque iustissimus Deus Homines ad imaginem suam coaditos, & propter Beatitudinem, quæ Regnum Cælorum est, efformatos ab ea non excluderet immeritos, & infontes. Essent autem infontes Parvuli, cum e vita, Baptismo non suscepto, rapiuntur, si nullum eis inesser peccatum Originis: siquidem nullis delictis propria Voluntate admittis tenentur nondum adulti. Eo telo Pelagianos petit *Lib. 3. contra Julianum cap. 3.*; a quo ut se tuerentur vaferrimi Homines, quid

putatis reposuisse? Nullam Parvulis pœnam esse, inquebant, a Regno Cælorum excludi; ne videlicet fateri cogentur, aliquo illos peccato infici, cujus merito ea pœna plesteretur: quos idcirco ita retudit SS. Doctor: *non enim vestra, sed illius est vera Sententia, qui dixit: nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei. Verum vos excellentissimi amatoris illius vita, qua futura est æterna cum Christo, nullam pœnam putatis esse. Imaginis Dei, in æternum exulare a Regno Dei: cum, si parvum pœnam esse diceretis, non esset hæc vox beati amatoris illius Regni, sed miseri contemptoris. Quocirca advertere vos volo obiter, quam ab Augustino deflectant, quamque ad Pelagianos accedant Theologi nonnulli recentiores; qui Parvulos sine Baptismate decedentes, & a Regno Cælorum exules, nulla ob hujusmodi exilium affici pœna, nullo dolore angust, nulla tristitia torqueri propugnant. En plane Hypothesim Pelagianam, quam ex Instituto exagitat Augustinus. Pelagiani enim carentiam Divina Visionis in Pueris illis utique admittebant; sed aliam, nimirum sensus, pœnam omnem negabant; imo de privatione illa tristari eos, aut dolere inficiabantur. Verum & illos loco suo, Deo dante, adriemur.*

Tertiam rationem ex miseris Corporis repetebat Divina Gratia Vindex, ut Originale peccatum nascentibus inesse demonstraret. Illud enim grave jugum, quod est super filios Adam a die exitus de ventre Matris eorum, injustum profusum esset, si nullius peccati Rei Parvuli forent: præsertim cum Adam inexterminabilis factus esset; mortisque, cui tot illæ miseris præluant, non fecerit Deus, sed factis illam, & dicitis hominis accesserint; ut loquitur Salomon Sapiens. *cap. 7.* Imo ex quo semel suam Deus oppigneraverat fidem; qua sponderat, nunquam Hominem moriturum, nisi peccaret; injustum, & violati piænitentis reus esset, si Pueros innocentes tot miseris, ac morte tandem afficeret. Quam rationem potissimum urget Divinae Gratia Defensor Augustinus *Lib. 6. contra Julian. cap. 5.*

Addi etiam & quarta potest (non minus, opinor, efficaci) ex Concupiscentia perduelli peccata, quam Homo a Nativitate patitur; quæ cum mala sit, & ad peccatum inclinat, non nisi ex peccato, quod nobiscum nascendo seramus, oriri potest. Quam rationem longe sæpius in Pelagianos vibravit Augustinus. Verum cum illam in antehabitis Tractationibus fuisse profectum sumus, actum jam iterum reagere non est opus.

Librandum amodo, quid Hæretici ad Errorem suum muniendum proferre soleant; atque id erit proxima Exercitationis Argumentum.

PRÆLECTIO III.

Pelagianorum, atque Socinianorum Momenta ex Scriptura, & ratione petita contra præcedentem Assertionem resutantur.

Statim in asserendo Originalis peccati Dogmate adversus Pelagianos in Socinianos hodie redivos studii, ac laboris impendimus: jam ad Erroris præsidia demolienda animum, vocemque convertamus. Ea quippe est Ecclesie Catholice in suos etiam Hostes singularis humanitas, ut inauditos illos damnare nolit; sed, si quæ forte Argumenta jactant, ea ad trutinam revocari omnino velit; ne iudicio minus, quam imperio, Fidem asserere, atque tueri videatur.

Primum, illudque potissimum ex veteri Testamen-

mento præsidium petunt Pelagiani recentiores, ac veteres; ex illo videlicet Ezechielis Oraculo *Cap. 18.*; ubi ita loquitur Deus; *Ecce omnes anime mee sunt: ut anima patris, ita & anima filii mee est. Anima, qua peccaverit, ipsa morietur. . . . filius non portabit iniquitatem patris. Portat autem, inquit Pelagiani, iniquitatem Patris Filii in Hypothesi Originalis peccati; atque ita portat, ut ob id æterna etiam morte puniatur, nisi renascatur in Christo.*

Verum a Pelagianis scire velim: si ita crude ea Ezechielis verba sumantur, quo pacto quæso cum aliis Domini verbis conciliari poterunt *Exod. 20.*: *Ego sum Dominus Deus tuus sortis, Zelotes, visitans iniquitatem Patrum in Filios, in terram, & quartam generationem eorum, qui odertunt me?* Quo pacto enim non portat Filius iniquitatem Patris, si peccata Patrum ad quartam usque generationem castigantur? Et certe, quis Scripturarum loca recensere possit, ubi Parentum peccata plestantur in Filiis? Peccavit Cham filius Noe pudenda Patris revelando, & in ejus Filium Chanaan vindicta prolata est. Peccavit Salomon impotenti libidine, quam etiam Idololatria cumulavit; ejusque idcirco Filius Roboam Regni scissione, & diminutione punitus est. Peccavit Achab Rex Israel, Idololorum vellestissimus cultor; nec nisi in ejus Posteris vindicta dilata fuit. Farsentur itaque, velint nolint, Pelagiani, aliquo saltem sensu portare Filios aliquando iniquitatem Patrum, nisi Scripturas sibimet ipsi repugnant velint.

Quisnam ergo, inquit, Ezechielis Oraculi sensus erit: *Filius non portabit iniquitatem Patris?* Duplicem indigitat Augustinus. Primum; Filium quidem non portare iniquitatem Patris, quæ natalen filii est; sed portare iniquitatem Patris, quæ filii vel imitatione, vel nativitate facta sit. Parentum enim peccata (ac præsertim Adami) modo quodam dicuntur aliena, & rursus modo quodam reperiantur & nostra: aliena quippe proprietate sunt actionis; nostra sunt autem contagione propaginis. Quod si falsum esset, profecto grave jugum super filios Adam, a die exitus de ventre matris eorum, nullo modo iustum esset. Ita Augustinus *Lib. 6. contra Julianum cap. 10.*

Alterum Ezechielis Oraculi sensum exhibet SS. Doctor: Filium nempe non portare, seu potius non portaturum iniquitatem Patris, dum regenerationis Baptismatis Gratia carnalis generationis vitium in Filio expunxit. Iis enim Ezechielis verbis Promissionem novi Testamenti, ac præsertim Sacri Baptismatis, prophetice contineri monet SS. Doctor. Nunc quippe Gratia baptismalis agit, ut paternum Chirographum deleatur in nobis, & uniusquisque pro se duntaxat rationem reddat, nec alterius iniquitatem portet. Nihil ergo Ezechielis Oraculum Originalis peccati Fidem elevat; imo vero supponit. Idcirco enim iniquitatem Patris in novo Testamento nemo jam portat; quia in hoc Testamento novo per Sanguinem Testatoris deleta paterno Chirographo incipit Homo paternis debitis non esse obnoxius renascendo, quibus nascendo fuerat obligatus, ipso Mediatore dicente: *ne vobis Patrem dicatis in Terra.* Ita Gratia Vindex *Lib. 6. cont. Julian. cap. 23.*

Sed quid jam, si quæ ex prophana Philosophia ad impetendam peccati Originalem Fidem Pelagiani repetebant, ad limam vocemus? Quam longe a Catholica Fide aberrabimus, si Originalis Peccati Dogma Humana ratione metiri, & ad Philosophicarum Institutionum calculos revocare velimus? Neque enim in suis Categoriis Aristoteles; sed in suis Epistolis Paulus ait: *per unum Hominem peccatum in hunc Mundum intravit.* Non in suis Dialogis Plato; sed in Psalmis Propheta

Serry Tom. IV.

Regius exclamat: *ecce enim in iniquitatibus conceptus sum; & in peccatis concepti me mater mea.* Non hic ergo Philosophica ratione pugnandum; sed Divina Auctoritate procedendum, si sumus vere Theologi, ut esse debemus. Quia tamen Sapientibus, & Insipientibus debitorum sumus, nostræ Fidei rationem omnino potest reddere tenemur, ut Apostolus in suis Epistolis monet, Pelagianis hæc etiam in parte satisfaciemus; nihilque eo Fidei nostræ Capite contineri demonstrabimus, quod sanæ Rationi non omnino consentiat.

Agedum; quid a Ratione contra proferantur perpendamus. Nullum, inquit Pelagiani, sine Voluntate peccatum esse potest, cujusvis illud generis supponatur esse, etiam generatione contrafactum. Cum enim sua Peccatore omnem pœna maneat, nemoque puniri possit immeritus, necesse profecto est, ut pœnam suæ Voluntatis perveritatis mereatur. Porro Originale peccatum nulla contrahi Voluntate percipiendum est. Neque vero reponere possumus, peccatum aliena Protoparentis Voluntate volitum a nobis quoque volitum reputari, quia nostrum omnium Voluntates in hoc uno Capite nostro continebantur. Sunt enim hæc insulsa plane diverticula, inquit Pelagiani; sunt verba, voces, & quidem sensu vacuæ, quæ Mentem sanam, ac solidam minus satiant. Si enim aliena Protoparentis Voluntate volitum fingitur Originale Peccatum, cur non alienum duntaxat peccatum est, sed insuper unicusque nascendo fit proprium? Quis nostrum suas vices Adamo, uti communi Procuratori, commiserat; ut in hoc uno omnium nostrum Voluntates repositæ censerentur? Quis nostrum peccatum ejus ratum habuit, aut in ejus partem aliquo modo venit; ut illius tandem Rei diceretur quotquot ex illo propagamur? Fuerit Adamus totius Humanae Naturæ Caput; bene est: at non idcirco Voluntas ejus nostra fuit; ut quidquid is boni, malive vellet, id a nobis volitum dici posset. Cur non etiam, si sic esset, nostræque in illo Voluntates ita contentæ fuissent, ut illo peccante peccaremus; cur, inquit, non etiam illo penitente, & admittente peccatum diluente, & nos quoque cum illo penituisse, idemque peccatum diluisse dici posset; ut non jam peccatores, sed penitentes ex Adamo nasceremur? En Pelagianæ Ratiocinationis summam, quæ peccatum Originale, uti Rationi plane repugnans, ostendere moluntur.

Quibus nihilominus cum Augustino reponere juvat; ad peccati rationem generatim, & universè satis esse, si sit voluntarium aut physice, aut moraliter; tamen speciatim ad peccatum Originale sit omnino necesse, ut sit physice voluntarium. Porro peccatum Originale, est nobis voluntarium non sit physice, quia nullus in eo physicus Voluntatis nostræ propriæ actus intervenit; est tamen voluntarium moraliter, quia Voluntate Adami, qui morale Caput nostrum erat, volitum fuit: ad eum sane modum, quo Pacta Conventa a Tutore in Causa Pueri tutelari curæ subiecti iacta, atque sancta voluntaria Pueri dicuntur esse, si minus physice, at saltem moraliter; adeo ut Puerum obligent in jure, ac profus adstringant; quia volita sunt a Tutore, qui Caput morale Pueri dicitur esse.

Id porro abunde sufficit, ut sua unumquemque nostram pro Originali peccato iustissima pœna maneat; tamen nemo nostrum suas vices Adamo commiserit; aut peccatum ejus nemo nostrum ratum habuerit. Quorsum id? quia Deus ipse, in cuius potestate sunt omnia, quique magis habet in potestate sua Voluntates hominum, quam ipsi suas, ut loquitur Augustinus, nostras Adamo commiserat vices; in quoque Pacto nostrum omnium no-

P

mine

mine ratum habitum iri decreverat, quidquid ille boni, malive facturus esset. Neque enim ad ita paciscendum necesse erat, ut nostrum Deus consensus requireret; cum is totius veluti Humani Generis Tutor nomine nostro pacisci potuerit superbia, qua valet in omnes Homines, Potestate; ut in nos Originalis Iustitia transfunderetur, si Adam perseveraret in bono; aut peccati ejusdem Rei teneretur, si declinaret ad malum. Demus ergo, injustum esse, ut peccante Protoparente peccasse quoque censentur universi Posterius, si jus Naturale, vel Humanum absolute secundum sese duntaxat consideretur; ex quo tamen Pactum intercessisse creditur, iustissimum illud est, & æquissimum: Pactis enim stare strictissimi juris est. Quis porro negat, Deum nomine nostro pacisci potuisse; cum & is jura nostra in manibus teneat, nostrasque omnium Voluntates in Potestate sua magis habeat, quam nos ipsimet habeamus? Pro Pueri ex pupillari ætate nondum egresso pacifici Tutor, eius vel damno, vel lucro; nec audiretur in foro Pater alienæ Tutelæ annos tandem egressus, si Pactum a Tutore intum eo solo nomine nullum haberi velle, quod sua ipsius Voluntas physica non intervenisset, aut suas ipsemet vices ei minime commississet; & jam obmurmurantes Homines audierunt, qui suam desiderari physicam Voluntatem obtendant, ut nomine nostro cum Protoparente pacisci possit Tutor Hominum ac rerum omnium arbiter Deus? Bellum profecto, bellum! Valeat ergo Ambrosio digna Sententia: fuit Adam; & in illo fuimus omnes: perit Adam; & in illo omnes perierunt; Lib. 6. super cap. 15. Luca num. 234.

Neque tamen penitente Adamo, & admittum peccatum diluente & nos quoque poenituisse cum illo, idemque peccatum diluisse, dici potest; quia non ita erat in Pactis; isque semel peccando Capituli Moralis jure exciderat; ut jam nobis impuniti non possent, que subinde boni, vel mali gereret. En primum Hæreseos Pelagianæ disjectum Propugnaculum humana Ratione fabricatum.

Non abimilem ex origine Animarum Difficultatem Pelagianii repetebant. Peccatum, inquiebat, non in carne; sed in Anima sedem habet: Anima porro non trahitur ex Adamo; aut si trahitur, non generatione, sed imitatione ab eo est; nullum ergo peccatum ab Adamo generatione trahi potest.

Mirum, quantum hoc Argumentum torserit Augustinum; cui nunquam perfectum omnino fuit, an ex Adamo per generationem omnes Animæ traducerentur; an a Deo recens create corporibus infunderentur. Imo in eam magis Sententiam propendebat, quæ Animas ex traduce fieri propugnabat; id est, ex Adami Anima propagari: quia hac in Hypothesi facilius intelligi poterat Originalis peccati transmissio. Alteram vero Sententiam quæ Animas singulis corporibus novas inferi, atque creati asserbat, conciliari non ita facile posse cum Fide Originalis peccati, ingenue fatebatur. Suam tamen circa hæc Difficultatem (quæ ex Scriptura Sacra, & Traditione dirimi plene non poterat) Sententiam suspendit; nihil referre dicens, quamquam illarum Opinionum eligeretur, modo Originalis peccati propagatio crederetur, nec in Deum refereretur Auctorem. Constat id ex Epistola 166. ad Hieronymum data, qua de gravissima illa Quæstione ab ipso postulat edoceri, postquam ignorantiam suam professus est humillimus Doctor. Cæterum cum ea & in Scholis, & in Ecclesia jam præter Opinio, quæ singulas Animas in dies a Deo creati, & recens genitis infundi corporibus asserit; idcirco dicendum ad propositum Argumentum, Animam e Conditoris mani-

bus puram egressam in Corpore, atque inferitur, tanquam in vitiatum vase infici, atque corrumpi: sicut si flos in loco foetido fervetur, quantumvis natura sua sit pulcher, odorosus, & elegans; vitium tamen, atque labem idem contrahit; ac quemadmodum Anima, si corpori vulnerato, vel flammis adultio conjungeretur, illico doletur; ita cum infundatur Corpori, in quo peccati germen quoddam est, fiatque pars Hominis ab Adamo progeniti; in quo, ut in Capite, ut in radice, ut in fonte vitiatæ Natura est, peccato inficitur. Si quis porro querat ex me, quo tandem modo id fieri possit, ut a vitiatio, corruptoque Corpore vitietur & Anima, quæ spiritus est? Quæ sit illa corruptio Corporis, quæ Animam perinde corrumpat, dum illa infunditur? Unum est, quod cum Augustino reponere possim; non idcirco Veritates in Scripturis expressas negandas esse, quod illarum plerumque rationes intelligentia non assequamur; Quid a me queris, ait ille, quæ sit factum modo? Cum videas factum esse quocumque modo, si Apostolo credas aliquo modo, qui de Christo, & de his, pro quibus mortuus est Christus, mentiri potuit nullo modo? Lib. 6. contra Jul. cap. 9.

Dici tamen posset, Corporis corruptionem, qua inficitur Anima statim atque in illud infunditur, Vitium esse inordinatæ Concupiscentiæ, quæ abundat in virili semina, quo Corpus procreatur. Hinc si quis forte non ex virili semine, ut in Christo contigit, nasceretur; sed alio quopiam modo nobis impervio Humanam Naturam fortiretur, is profecto Originali peccati maculæ expertus omnino foret, quamvis ab Adamo alia via, quam per virilem seminationem originem traheret; ut in Christo Domino compertum habemus; qui ab Adamo quidem, sed nulla virilis seminis ope Humanam Naturam sortitus est.

Verum & denuo misistat importuni Cavillatores: si traduce semine Originale peccatum in Posteris propagatur, quo unquam pacto ex Parentibus Sacro Baptismate jam ablatis in Sobolem transfundi poterit, cum illo esse carere, certissimum sit? Quæ enim forte Parentes derivate in Filios possunt, quod ipsi non habent?

Quibus tamen e vestigio reponeret Augustinus Lib. 3. de peccat. mer. & rem. cap. 8. : Tunc se mihi apud obfusos, & contentiosos, propter recam Nature obscuritatem, difficultates resellendi falsæ, & persuadendi vera resisteret, ad hæc forte, quæ in casu atque in promptu essent, exempla confugerem; vicissimque interrogarem, ut quia eos moveret, quomodo peccatum, quod mundatur per Baptismum, maneat in eis, quos genuerint Baptizati; ipsi explicarent, quomodo præputium, quod per Circumcisionem auferitur, maneat in eis, quos genuerint Circumcisi; quomodo etiam palea, quæ opere humano tanta diligentia separatur, maneat in fructu, qui de purgata tritico nascitur? Quorsum autem id? Rationem assignaverat SS. Doctor Lib. 2. de pecc. mer. & rem. cap. 27. , inquit: quia & innervati Parentes, non ex primitiis novitatis, sed ex reliquiis veterastatis carnaliter gignunt: & Filii in Parentum reliqua vestigata toti vetusti, & in peccati carne propagati damnationem veteri Homini debitam Sacramento Spiritualis regenerationis, & renovationis evadunt. Hæc Augustinus. Idcirco itaque de Baptizato non Iustus nascitur; quia eum non generat, unde regeneratus est; sed unde genitus est; seu, ut explicatius, & magis ad Scholæ methodum loquitur Doctor Angelicus 1. 2. quest. 81. art. 3. ad 2. : Peccatum Originale per Baptismum auferitur reatu; in quantum Anima recuperat Gratiam quantum ad mentem; remanet tamen peccatum Originale actu quantum ad somitem, qui est inordinatio Partium inferiorum Animæ, & ipsius Corporis, secundum

secundum quod Homo generat, & non secundum Mentem: & ideo Baptizati traducunt peccatum Originale. Non enim Parentes generant in quantum sunt renovati per Baptismum, sed in quantum retinent aliquid de vestigato primi peccati. Ita rem totam explanavit eo, quo pollebat, Mentis acumine Angelicus Doctor.

Quid tandem? Originalis ergo peccati causa, subdebant Pelagianii, erit uxoriam conventio; adeoque Nuptiarum demandæ erunt, ex quarum usu derivatur in Prolem Originis Vitium. Imo, & in Deum ipsum Vitium hoc referetur, qui puram Animam vitio Corpori inferit; cujus contagio illam certo certius contaminandam novit.

Et hanc rursus Argutiam occupavit Augustinus Lib. de Nupt. & Concup. cap. 26. : Peccatum autem, inquit, quod inde a nascentibus trahitur, non ad Nuptias pertinet, sed ad malum, quod nascitur hominibus, quorum conjunctione sunt Nuptie. Occupavit & illam lucidissime Doctor Angelicus Quest. 4. de Malo art. 1. opportuno Exemplo: Sicut si dicamus, ait, quod motus manus ad homicidium perpetrandum, secundum quod manus per se consideratur, non habet rationem culpæ; quia manus de necessitate movetur ab alio: Si autem consideretur, ut est pars totius Hominis, qui Voluntate agit, sic habet rationem culpæ; quia sic est voluntarius. Sicut ergo homicidium non dicitur culpa manus, sed culpa totius Hominis; ita hujusmodi defectus non dicitur esse peccatum personale, sed peccatum totius Naturæ; nec ad Personam pertinet, nisi in quantum Natura inficit Personam.

Hæc D. Thomas; quibus nil explicatius desiderari potest. Et sane sicut infamia, & nominis obscuritas, quas a nefario, vel humili Parente contrahit Liberorum Soboles, non effectivè proceduntur vi Generationis, quæ fe ut conditio duntaxat habet, sed a delicto paterno, vel ab abjecti Status ratione eadem, tanquam a causa morali, sive civili, progeminant; ita nec generatio, nec Animæ infusio causa putanda erit, sed conditio duntaxat, sine qua minime propagaretur Originale peccatum: quo quidem non inficitur Homo simpliciter & absolute loquendo, qua gignitur, aut quia Animam rationalem sortitur; sed quia vitiatam Naturam per feminalem propagationem ex Adamo mutuatur.

En elisa, Viri Theologi, potissima Pelagianorum & Socinianorum Sophismata, quorum ope Originalis peccati Fidem dejicere perenturunt. Si Scholas perendino die habere licebit, eorundem diluamus Momenta non jam ex humana Philosophia, sed ex Veterum Patrum Augustino superiorum Auctoritate delibata, ut ipsis quidem videtur; quæ nobis audaci admodum supercilio obijciunt, ac si in Christi Ecclesia omnium primus fuerit Augustinus, ipsorum hostis infensissimus, qui tale Dogma in Ecclesiam invexerit, nullis retro Patribus, ut ajunt, cognitum unquam; quin & ab eorum pluribus strenue oppugnarum. Res ita ne sit, supremo favente Numine, proxima Prælectione expendemus.

PRÆLECTIO IV.

Pelagianorum, ac Socinianorum Momenta adversus Catholicum Originalem peccati Dogma ex Veterum Patrum Augustino Superiorum Auctoritate petita diluuntur.

Pelagianorum, ac Socinianorum Momenta ex Scripturarum Auctoritate, & ratione petita, quibus Originalis peccati Fidem impetere audacissime perenturunt, in superiori Prælectione, si bene meministis, ad examen vocavimus, diluimus Serry Tom. IV.

mus, confutavimus. Reliquum est, ut ea in præfens Argumenta expendamus, quæ ex Veterum ante Augustini tempora Patrum Auctoritate delibata in medium proferunt, ut ostendant, nihil ante Augustinum, quem hujusce Dogmatis Architectum perperam fabulantur, a Græcis Latinisque Patribus de Originali peccato fuisse traditum; imo, quod intolerabilius est, fuisse a pluribus pernegatum. Quantum a veritate ii procul aberrent, nobis est hodie demonstrandum, probandumque; nihil ex Patribus cum Græcis, tum Latinis & sui posse, quod illorum Errori patrocinari vel leviter videatur. Quod quidem ita præstabitur, ut nihil profus eorum omittamus, quod negotium facessere aliquid judicabimus; ut hinc quisque perspiciat, quam labilibus fundamentis hujusmodi Error superstruatur, quamque falso sui Augustino tribuant Pelagianii, quod vel a primis Ecclesiæ sæculis ab omnibus fuit exceptum, ac prædicatum. Ad manus itaque veniamus; audiamusque, quid ex Patribus Augustino Superioribus in sui præsidium emendicare nitantur male feriat Impositores.

Græcorum Patrum, quos nobis adversari delibetant, chorum ducit Auctor Quæstionum, & Responsum ad Orthodoxos, qui sub Justini Martyris nomine circumferunt. Hic etenim Just. 88. eam Jobi Sententiam Nemo mundus a Jorde ad Parvulos sacro Baptismate non ablutos minime pertinere diserte pronunciat. Peccatum itaque Originale, inferunt Pelagianii, quod Animæ sordem certo certum communicat, non agnovit Justinus.

Perperam tamen, ac falso Justino Martyri adscribunt imprudentes Librum illum Quæstionum ac Responsum ab Orthodoxos, quem Auctoris esse factum ævi longe recentioris, Erafidi pene omnes consentiunt; nec quidem immerito. Ut enim alia multa præteream, quæ id evidentissime evincunt, quæque apud Criticos videnda relinquunt, illud decretorium profus est, quod Auctor ille eodem in Libro mentionem facit Originis, qui octoginta, plus minus, annis post Justini tempora floruit. Quisquis tamen Auctor ille fuerit, de quo contentio non levis est inter Viros de Critica, fidenter repono, eoloci non de Originali, sed de Actuali peccato sermonem fieri; quod procul dubio expertes fatemur Infantes, qui Rationis usum nondum attigerint. Hæc perspicue demonstrant, quæ ibidem leguntur, verba: Porro, inquit, natura ad peccandum natus est, qui per liberi arbitrii delictum sibi ipsi dux est. Peccatum porro Originale ex Voluntatis electione non provenit, sed ex necessitate corruptæ Naturæ; ut nemo nescit.

Alter in ordine Græcorum Patrum occurrit Clemens Alexandrinus; qui Lib. 3. Strom. cap. 8. adversus Encratis, seu Tatianos disputans, ut eos a spisso errore averteret (quo nuptias execrabantur, pares eas fornicationibus existimantes, quod nimirum ex illis Originis peccatum propagaretur) peccatum hujusmodi, quod ii tanquam Erroris sui fundamentum constituebant, aperte inficiatus esse videtur: Dicant ergo nobis, inquit ille, ubi fornicatus est Infans natus? Vel quomodo sub Ade cecidit execrationem, qui nihil est operatus? Restat ergo eis, ut videatur, consequenter ut dicant, malam esse generationem, non solum eam, quæ est Corporis, sed etiam qua est Anima, propter quam etiam Corpus. Imo subdit, Davidem in suo conceptu nullum traxisse peccatum: & quando dixit David: in peccatis conceptus sum, & in iniquitatibus concepit me mater mea: dixit propheticè quidem matrem Heviam; sed Heviam fuit mater Inventum: & in peccatis fuit conceptus, sed non ipse in peccato, neque vero ipse peccatum? Ad hæc accedit, quod Lib. 4. eorundem Stromatum

rum cap. 5. confutaturus Hæreticos quosdam, qui ex superius laudatis Jobi verbis, nemo mundus a sordibus inferebant, Infantium Animas aliquod in Superiori vita admisisse peccatum antequam Carni unirentur, nec minimam Originalis peccati mentionem habet; tamen Argumenti, quod pertractabat, occasio id postulare quam maxime: statuto liquidem Originalis peccati Dogmate, Errorum de facili refutare potuisset. Ita Sociniani cum Pelagianis videntur sibi subtiliter disputare.

At non ita profecto, ut illi venditant, se res habet. Longe aliud fuit pro suo Errore stabilendo Encratitarum seu Tatianorum Fundamentum, quam Originale peccatum: nimirum comminiscuntur illi, dum Infantulos, quos nihil mali in hac Vita egisse certo noverant, penis, & ærumnis, non secus ac Adultos, obnoxios perspiciebant, comminiscuntur, inquam, peccato aliquo Actuali in superiore, nescio quam, Vita ab ipsis conficta fuisse pollutos; in cujus penam corporeis vinculis eorum Animas alligari, communefque ærumnas persentire effutiebant. Hoc aperte declarant ejusdem Clementis verba, quibus ipsos urgebat: *dicant ergo nobis; ubi fornicatus est Infans natus? Certe fornicatus ad Actuale peccatum attinet. Quapropter cætera, quæ a Clemente verba subducunt, quomodo sub Adæ cecidit execrationem, qui nihil est operatus? De ea execratione intelligenda veniunt, in quam juxta eorundem Hypotesim incidissent per Actuale peccatum, quod in priore Vita (hoc est, ante unionem Animæ ad Corpus) perpetrasset. Dicitur autem Execratio Adæ secundum similitudinem: quia nimirum, quemadmodum ista contigit ob Actuale Adæ peccatum ex ejus inobedientia profectum, ita & illa, ob Actuale Animarum crimen priusquam Corporibus unirentur commissum, pari ratione contigit. Eodem omnino modo exponi debent, quæ subsequuntur Clementis verba, *Sed non ipse David in peccato: videlicet de Actuali, non de Originali peccato: de priore enim, non de posteriore Clementem inter, & Encratitas Controversia habebatur. Ad hæc addi possent ex abundantia, incertum penes Eruditos omnino esse, num verba illa relata scripserit Clemens ex propria Sententia, vel potius, ut ab Hæreticorum ore prolata, ipsique Clementi ab iisdem objecta: Textus enim obscuritate laborat non modica, & in utrumque sensum pertrahi verba illa non incommode possunt, ut observavit ante nos Bellarminus, qui sibi hoc ipsum Pelagianorum Argumentum proponit, & solvit. Quod etiam perspicue evincitur ex subsequentibus Clementis verbis: *restat ergo eis, ut videtur, consequenter, ut dicant, malam esse generationem, non solum eam, quæ est Corporis, sed etiam, quæ est Animæ: quæ sane videtur Clementis Responsio ad sibi propositam ab Hæreticis Objectionem.***

Quod ultimum attinet; Clementis videlicet alium de Originali peccatum silentium in aliorum Hæreticorum Confutatione, nihil nos movet. Alia siquidem tunc suppetebant Clementi Argumenta, quibus exagitare illos posset: neque vero ex peccati Originalis Dogmate ibidem prætermino evinci ullo pacto debet, Clementem illud minime agnovisse, ut falso existimant Pelagiani: Argumentum etenim negativum, ut Schola loquitur, nihil evincit.

Succedit tertius in ordine, quem ex Græcis Patribus pro se stare contendunt Sociniani, S. Gregorius Nyssenus. Hic quippe *Oratione de Infantibus prematura morte sublati* ab Hierio interrogatus, an illi ad universale Judicium vocandi

sint? Respondet, exclamandum cum Apostolo esse: *O altitudo!* Docet præterea ibidem, Infantes esse omnis malitiae expertes, nec sanitate indigere: *Puellus, inquit, simplex, omnique malitiae expertus. . . . sanitate, quæ per purgationem contingit, non indiget.* Si itaque Infantes (inferunt Pelagianus) sanari per purgationem non indigent, Nulla, Nysseno iudice, sunt peccati labe sedati. Si an ad Judicium vocandi fuerint, se palam ignorare profiteretur, consequens omnino erit, nullum in iis reatum, de quo in Judicio extremo ferenda Sententia fuerit, Gregorium agnovisse.

At non advertunt incauti, loqui eo loci Nyssenum de Infantibus post susceptum Lavacri Sacramentum prematura morte subreptis; de quibus profecto dubitat, an in extremo universali Judicio coram Judice sistendi sint; quod videlicet eo in Judicio de operibus, quæ quisque in proprio Corpore gesserit, ut ait Apostolus, sit discipendum. Porro ignotus illi modus erat, quo hujusmodi Judicium quoad Infantes, qui propriis actibus mali nihil, vel boni in suis Corporibus peregerunt, exercendum foret; ideoque exclamandum ait: *o altitudo!* Neque enim desuere posterioribus etiam temporibus, imo & hac nostra ætate Theologi, qui Parvulos cum baptizatos, tum non baptizatos, ante Rationis usum morte præventos, ad Universale Judicium minime comparituros propugnarunt, propterea quod iis nihil inest, de quo rationem supremo sint Judici reddaturi; cum Originale peccatum Judicii discussione subesse minime possit.

Porro de baptizatis Infantibus illa protulisse Nyssenum, ex eo liquet, quod ibidem de Parvulo differit in lucem jam edito; non vero de illo, qui materno in Utero interit: ait enim *qui in dero fuit.* Præterea asserit, Infantes illos participes futuros Beatitudinis: *quemadmodum* (inquit post medium) *prima Infantium ætas mamma, & lacte nutrita educatur. . . . ita opinor etiam Animam. . . . ordine, atque consequentia quadam participem fieri ejus vitæ, quæ secundum Naturam est, quantum capis, ac potest, de iis, quæ in beatitudine proposita sunt, partem capientem.* De baptizatis itaque Parvulis loquitur Nyssenus, quibus per regenerationis Lavacri januam patuit aditus in Christi Ecclesiam; extra quam nullus dari potest vel infimæ Beatitudini locus.

Quod autem subdit, *Infantes illos sanitate non indigere*, utique verum est, & citra omnem dubitationem certissimum; cum per Sacramenti medicinam integre sanati fuerint.

Et certe si Gregorii Mentem ex aliis ejus Librorum Sententiis investigare non pigeat, perspicuum fiet, Originalis peccati Dogma Doctorem Sanctissimum & tenuisse, & prædicasse. Illud præcæteris decretorum semper mihi visum est, quod habet in *Vita Moysis* pag. 500; *oculorum quædam Traditio est*, inquit SS. Pater; *verus sermo ad nos usque descendit, quo creditur, postquam in peccatum Natura lapsa est, non omnino a Clementia Divina neglectam, neque suo Patrocino dimissam.* Ubi manifeste apparet, illum de peccato Naturæ fuisse loquutum, adeoque de Originali, quod universam infecit Naturam; non autem de personali peccato, cujus non est Naturam, sed Personam duntaxat inficere.

Nysseno perperam a Pelagianis intellecto, & frustra in nos concitato, pari nobis audacia, & inficitia objiciunt Chrysofomum, Ecclesiæ Græcæ præclarissimum Sidus, quem æquo molimine in suas partes pertrahere conantur, eo ducto consilio, ut Originale peccatum fuisse illi penitus igno-

tum

tum evincant. Testimonia, nescio quæ, S. Doctoris excerptum; quorum primum extat *Hom. ad Neophytos*; ubi eum docuisse asserunt, ideo Infantibus Sacrum conferri Baptisma, ut eis addatur Sanctitas, non autem, ut a peccati allicuius forde abstergantur: *Hæc, inquit, de caussa Infantes baptizamus quævis non sint inquinati peccato, ut eis addatur Sanctitas, Justitia, Adoptio, Fratemitas Christi, ut ejus membra sint.* Hincque festive colligit, peccatum nullum ante Baptismum in Infantibus Chrysofomum agnovisse; ac proinde Originale peccatum penitus nescivisse.

Perperam tamen vertunt Græcum Chrysofomi Textum Pelagianus. Neque enim in eo legitur singulari numero, *quævis non sint inquinati peccato*; sed plurali, *peccati*. Ita enim latine, iudice Augustino *Lib. 1. contra Julian. cap. 6.* reddi debet: *Ideo Infantes baptizamus, quævis peccata non habentes.* Quare Chrysofomus de Actualibus, non de Originali peccato eo loci differit. Quærenti vero Juliano ab Augustino; cur si ea fuerit mens Chrysofomi, non addiderit, *propria?* Reponit illico SS. Doctor: *quia disputans in Catholica Ecclesia non se aliter intelligi arbitrabatur: tali enim Questione nullus pulsabatur; & vobis nondum litigantibus, scivimus loquebatur.* Cum autem Chrysofomus subdit: *ut eis addatur Sanctitas; & addatur idem sonat, ac conferatur;* alioquin dicendum foret, addi utique posse & Adoptionem, Hæreditatem, Fratemitatem Christi, quæ omnia eodem verbo addatur reguntur. Quæ quidem impropria, & absona plane locutio esset, & a Chrysofomi calamo profus aliena; cum nemo nesciat, ejusmodi Dotes, ac Characteres nec extensionem, nec augmentum pati. Quid plura? Chrysofomum peccatum Originis factum esse, liquido constat ex ea, quam in ante habitis laudavimus, *Epist. 3. ad Olympiadem* (seu, ut alii legunt, *Olympiam*) ut alia plura S. Doctoris Testimonia mittamus; in qua perspicua hæc verba leguntur: *cum Adamus grave illud peccatum admisisset, atque commune Hominum Genus condemnasset. Quid, amabo, elarius, quid luculentius desiderari unquam a nobis posset?*

Nec tamen his acquiescunt importuni Cavillatores. Alterum S. Doctoris Testimonium profertur excerptum ex *Hom. 10. in Epist. ad Rom.* ubi docet, mortem ex Adamo quidem in ejus Posteris fuisse transmissam, non autem peccatum inobedientie, cujus factus est ipse reus: *Illo enim, inquit, peccante, ac morali effecto, & qui ex eo orti sint, eos tales esse, nihil absurdum. At ex illius inobedientia alterum peccatum existisse; id vero non quam, obscuro, congruentiam, consequentiamque habet? Invenitur enim nec penes quidem debere, qui talis fuerit; siquidem non ex se ipso peccator existit. Quid igitur hoc loco verbum hoc PECCATA TORES significat? mihi videtur tantundem significare, quantum illud SUPPLICIO OBNOXII, ac MORTIS REI. Hac Chrysofomi Auctoritate explicare nituntur Sociniani aliam a nobis allatam ex *Epist. ad Olympiadem*. Asserunt itaque, sensisse quidem Chrysofomum, per Protoparentis peccatum omne Genus Humanum damnatum iri, sed morte duntaxat corporali: quæ quidem cum per sese Humanæ Naturæ in puris Naturalibus constituta debita esset, poterat justus Deus citra injustitiam ob primi Parentis culpam Posteris suis immortalitatem illam aufere; quam gratuito profus, non secus ac Sanctitatem Originalem, cæteraque illius Consecraria Adamo contulerat, & ipso non peccante Posteritati adpromiserat. Cæterum minime docuisse Chryso-*

tomum, ob Adæ peccatum Filios nasci spirituali morti obnoxios, peccatores, Deoque inferos, atque exosos, per maculam Animæ inharentem, quam nos Originis labem appellamus. Ita cum Pelagianis Sociniani ex Chrysofomo, ut ipsis videtur, egregie argumentantur.

Putatis ne per fidem vestram, repono ego, Chrysofomum ita aperte Apostolo repugnasse, dum Apostoli Epistolam exponeret? Repugnasset porro quam maxime, seque Paulo contrarium omnino prodidisset, si quam Pelagianus fabulatur, doctrinam tradidisset. Nunquid Apostolus ibidem *cap. 5.* non expresse asserit, nedum per Adæ inobedientiam intrasse mortem in Mundum, verum etiam peccatum? *Et ita in omnes Homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt;* ubi certe peccatum a morte distinguit; omnesque ob Adæ peccatum mori, omnesque pari loquendi modo in uno Adamo peccasse pronunciat. Ubi autem distinxit Apostolus, & Chrysofomum distinxisse necessum est, nisi eum cum Apostolo committere velimus. Quid ergo eo in loco sibi voluit Constantinopolitanus Antistes? Non aliud profecto, quam quod ipsum inobedientia peccatum actu ab Adamo patratum, & ex libera ejus Voluntatis electione promanans minime transfundatur in Posteris, iisdem videlicet circumstantiis affectum, eademque malitiae gravitate onustum; ita nimirum ut & illi æquo modo Deo contumaces nuncupari possint: quod & idem Apostolus eodem Capite innuerat: *sed regnavit, inquit, mors ab Adam usque ad Moysen etiam in eos, qui non peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ.* At vero transfundi effectum peccati Actualis Adamo inficiatus est nunquam SS. Doctor. Hic porro effectus duplex est; poenæ unus, alter culpæ, seu maculæ, non Actualis quidem ex libera Voluntatis electione sobolefcens, sed Habitualis, ac (ut Schola loquitur) veluti radicalis, ex Adæ peccato, tanquam a propria radice, germinantis. Sane, si rem penitus perpendamus, mors ex Chrysofomo poenæ est, quæ omnibus & singulis Adæ Posteris ob ejus culpam infligitur. Quæ porro ratione infligi poenam juste posset, nisi in iis demeritum præexistere? Poenæ siquidem culpam consequi necesse est; alioquin injusta omnino foret poenæ illa; injustus & Judex eandem inferens. Hæc porro culpa in Infantibus, cum actualis esse nequeat, Originalis dicenda erit.

Quamvis autem (ut Pelagianorum Doctrinæ superius expositæ fati sciamus) Immortalitatis Donum indebitum profusum sit Humanæ Naturæ, si secundum se se spectetur: supposita tamen Originali Justitia, quæ non Adamo soli, sed toti Naturæ collata fuerat, Deus ea spoliare Adami Posteris citra Injustitiæ notam minime potuisset, semel ac in illis eadem Innocentia, atque Justitia perdurassent, quas ut proprietates & appendix Immortalitas ipsa comitabatur. Verum, amissa semel ab Adamo peccante Originali Justitia, ea Posteris omnes & singuli privati sunt; quod in eo peccaverit omnes; adeoque Immortalitatis quoque fatali consecutione jacturam fecerunt. Quare autem Originale demeritum ex Protoparentis Actuali peccato in Posteris transfundi possit, ac etiam debeat, tamen Parentum crimina Filios ex eorum femine progenitos inficere nequeant, scire si vultis, ratio in promptu est; quia nimirum primum Adæ peccatum licet ab ipso solum actu perpetratum, Naturæ tamen totius evasit proprium; cum in ipsamet Protoparentis Voluntate, qui totius Humanæ Naturæ Caput erat morale, omnium Hominum Voluntates moraliter continerentur (ut in superioribus demonstra-

vi-

vimus) nedum ut in Physica, sed etiam ut in Morali radice. Quare, quemadmodum ob infectionem radicis arbor inficitur tota, fructusque subinde omnes, ita ex depravata per inobedientiam culpam primi Hominis Voluntate, omnium singulorumque Hominum Voluntatum infectio protinus suborta est. Ceterum extra Adamum nullius Parentis Voluntas Filiorum Voluntates in se moraliter continet; cum nullus Homo, secluso primo, totius Naturæ Caput morale esse possit, ut inde ejus Individua, quantumvis a se progenita, suo crimine inficere valeat, atque polluere. Hæc dicta volui, ut quisque intelligat, quam vana, quam futilem, quam absorta sit ea, quam tanti faciunt Hæretici Sociniani, inter primum, cæterisque Parentes æquiparatio, ut hinc Originalis macula transfusionem improbabilem, ac rectæ Rationi prorsus repugnantem ostendant.

Postremus ex Græcis Patribus, quem Pelagiani suo patrocinantem Errori nobis ostentant, est Theodoretus, qui (ut illi quidem autumant) expresse docuit, peccatorum remissionem non esse effectum Baptismatis. Quod ut probaret Theodoretus, adduxit in medium Ecclesiæ consuetudinem, quæ Infantes abluunt, nullius licet peccati sorte pollutos: *Si enim* (inquit ille *Lib. 5. Hæret. Fabul. cap. 18. adversus Messalianos*) *hic solus esset Baptismi effectus, cur Pueros baptizamus, qui peccatum nondum gustarunt?* Sensit itaque Theodoretus, in Infantibus sacro Lavacro nondum ablutis nullum inesse peccatum per Baptisma delendum.

Repono tamen, Theodoretum nisi aliud sibi eo loci voluisse, nisi quod peccatorum Actualium remissio non sit solus Baptismi effectus, sed Actualium simul & Originalis. De eo enim peccati genere sermonem ibi instituerat Theodoretus, de quo Ecclesiæ inter, & Messalianos Controversia agitabatur; quæ quidem sola peccata Actualia respiciebat. Contendebant siquidem Messaliani, Actualia duntaxat peccata per Baptismum, quasi adhibita novacula, tolli; Originale vero non per Baptismum, sed per Orationem dimitti. Quod quidem absortum & absurdum esse ostendebat Theodoretus ex usu Ecclesiæ, quæ Infantes abluunt, tamen solius Originalis culpæ labe fordescent. Res ipsa patet per se se, si ejus verba pensentur: de eo siquidem peccato loquitur ille, quod Parvuli nondum gustarunt: gustari porro non Originale, sed Actualia peccata dicuntur.

Elisis jam Pelagianorum momentis ex Veterum Græcorum Patrum Auctoritate delibatis, reliquum est, ut & eos audiamus Latinos Patres, quos pari impudentia nobis objiciunt, ceu Originalis peccati Dogma vel aperte negantes, vel penitus ignorantes. Descendit itaque primus in aciem Tertullianus, qui *Lib. de Resur. Carn. cap. 47.* mortem quidem Corporis refert in Adæ pravationem, non itidem mortem Animæ, quæ ex peccato sobolescit. Non alium igitur (clamant Pelagiani) peccati Protoparentis effectum, quam Carnis, seu Corporis mortem agnovit Tertullianus.

Mirari ego satis non possum, dum Tertullianum sibi patrocinantem decautare audio Socinianos, & Pelagianos. Is siquidem ab eorum errore tam procul fuisse comperimus, quam quod maxime, cum in ejus lectione versaremur. Duo inter cætera ejus Testimonia proferre liceat, quibus perspicuum fiet, Tertullianum Originalis peccati Dogma, & agnovisse, & credidisse. Primum est eodem in *Lib. de Resur. Carn. laudato cap. 8.*, ubi hæc habet: *Caro abluuntur, ut Anima emacu-*

letur. Ne autem dici possit, intelligendum, Tertullianum ibidem fuisse locutum de Adultis, illis, qui post Actualia patratæ crimina sacrum Baptisma suscipiunt; legendus est *Lib. de Testim. Animæ cap. 3.*, ubi de Adamo sic loquitur: *per quem Homo (Adam) a primordio circumventus (nimirum per Satanam) ut Preceptum Dei excederet, & propterea in mortem datus, exinde totum genus de suo semine infectionem suam etiam damnationis traducem fecit.* Ubi, ut videtis, nedum damnationem, sed & infectionem diserte memorat. Cur autem alio in loco nobis objecto de sola Corporis morte mentionem habet, dicam breviter. *Librum de Resurrectione Carnis* scripserat Tertullianus adversus nonnullos Hæreticos, inter quos fuit Marcion, qui Corporum resurrectionem negabant; quamque Tertullianus probandam susceperat. Inter alia porro Argumenta illud etiam protulit ex Apostolo Paulo desumptum *ad Rom. cap. 5.*, videlicet, quod sicut antiquus Adam, qui erat forma futuri secundum Apostolum, per peccati superbiam Corpori mortem intulerat; ita novus Adam, qui Christus est, per suæ Passionis, ac Mortis ignominiam vitam illi collaturus erat. Non itaque Tertullianus solam Corporis mortem, tanquam unicam peccati Adæ effectum agnovit; sed de ea sola ibidem sermonem habuit, quæ Controversia cum Marcione agitata in unico postularetur.

Tertulliano substituunt S. Ambrosium Mediolanensem Antistitem refractarium Sociniani, ceu de Originali peccato minus orthodoxe sentientem. *Commentaria in Cap. 5. Epist. ad Rom.*, quæ ejus nomine a pluribus venditantur, in medium proferunt; ubi hæc leguntur super *Verse. 12.*: *Mors dissolutio corporis est, cum anima a corpore separatur. Est & alia mors, quæ secunda dicitur in gehenna, quam non peccato Adæ patitur; sed ejus occasione propriis peccatis acquiritur; a quibus immunes sunt; tantum quod in Inferno erant; sed in superiori, quasi in libera (custodia) qui ad Cælos ascendere non poterant.* Ex qua Auctoritate duo sibi apprimè faventia colligere Pelagiani gloriabantur. Primum; quod secundam mortem, nempe gehennæ, non patiuntur Homines ob Adæ peccatum, sed propter propria seu Actualia, occasione prioris illius peccati perpetrata. Alterum; quod probi Homines, qui nullius lethalis peccati labe polluti obiere, tamen ante Christi Salvatoris resurrectionem ad Cælos ascendere non potuerunt, in libera tamen, ac superiori Custodia detinebantur; hincque inferebant, S. Doctorem peccatum Originis minime agnovisse; cum isti non prior duntaxat Corporis, sed & altera gehennæ mors respondere æquum sit: nec solum in libera quadam, ac superiori Custodia detineri, sed in Inferno pœnas debitas luere, ceu Peccatores, ac vere Reos, quicumque illo fuerint obstricti.

Perbelle id quidem. Verum si iis reponerem ego, unde habeant, *Commentaria* illa Ambrosii Mediolanensis Episcopi factum esse, ut tanti Doctoris nomine abuti illis impune liceat, puto de facili ruituram totam illam Argumenti molem, fundamento tam labili superstructam. Sane dubia saltem illa esse, Eruditus nullus hinc temporibus distiterit. Ex incertis porro SS. Patrum Codicibus Testimonia decerpere, quæ nihil desperatæ Causæ argumentum esse, res patet per sese.

Sed demus, ut libet ut lubet, *Commentaria* illa vel Ambrosii esse, vel Scriptoris Augustino superioris, certe non video, quid solidi inde præsidii lucrari Pelagiani possint. Quandoquidem Auctor ibidem asserit, pœnam Originali peccato

debitam non esse gehennam; pœnam videlicet Sensus, ut vocant Theologi, sed carentiam duntaxat Divinæ Visionis, quæ Damni pœna vulgo dicitur; quam pœna qui sustinent, in Inferno quidem degunt, sed in parte quadam superiori, ad quam gehennæ flamma pertingere nequit, juxta probabilem, imo forte communiorem (quamvis oppositam nos loco suo propugnabimus) Scholæ Sententiam. Tam ergo falsum est, Auctorem illum Originale peccatum non agnovisse, quam falsum sit, Theologos illos omnes Catholicos, quibus eadem de pœnæ Sensus immunitate Sententia aridet, peccatum Originale minime profiteri.

Quod autem ea fuerit laudati Commentatoris indubia mens, liquet ex iis, quæ ibidem illico subdit: *Sententia enim, inquit, tenebantur data in Adam; quod Chirographum in Decretis morte Christi deletum est. Sententia autem Decreti fuit, ut Hominis Corpus solveretur super Terram; Anima vero in vinculis Inferni detenta exitia pateretur; & paulo inferius super *Verse. 15.*: *Paterno autem peccato ex Dei Sententia erant apud Inferos; Gratia Dei abundavit in descensu Salvatoris omnibus datus indulgentiam, cum triumpho sublatis eis in Cælum.* Ex quibus & ego duo colligo: primum; quod præter Corporis mortem super Terram Anima etiam detenta in vinculis exitia patitur; alterum; quod per Gratiam Salvatoris tributa omnibus indulgentia fuerit. Peto itaque a Pelagianis: hæc loquenti formulæ *vinculis Inferni detinere, exitia pati; indulgentiam tribui; nonne aperitissime reatum, maculam, debitumque solvendum, aliquando saltem, extitisse demonstrant?* Quandoquidem Justis, ac Innocentibus nec indulgentia tribuitur, nec vincula, vel exitia debentur. Ne autem alicui scrupulum inferat Interpretatio nostra, quasi velimus, Commentatorem illum sensisse, indulgentiam esse a Redemptore collatam iis etiam Parvulis, qui absque Circumcisionis, vel alio quopiam remedio, Baptismatis vicem gerente, ex hac Vita migrarunt; dicimus, in postremo a nobis allato Testimonio illum non loqui de Parvulis cum Originali præmortuis, sed de justis illis, ac probis Hominibus, qui tamen vel Circumcisionis beneficio post Abrahami tempora (ut quibusdam aridet) vel alio forte expiatorio medio ab Originali culpa mundati fuerint, in Inferis nihilofcius, seu in Lybmo Patrum (in eadem enim significatione Voces illæ a Patribus sæpe usurpantur) usque ad Christi Salvatoris descensum moram trahere cogebantur: quæ sane temporaria saltem Originalis noxæ pœna erat, in Divinæ Visionis privatione sita; qua utique pœna ex primi Adami prævaricatione derivata novi Adami Reparatoris Christi Indulgentia fuere penitus absoluti, ac subinde in Cælos cum triumpho translati.*

Postremo tandem Pelagiani ad Lactantium confugiant, ejusque Præceptorem Arnobium, quorum primum peccatum Originis nescivisse, alterum penitus rejecisse contendunt. Ajunt siquidem, Lactantium calamitates omnes, quas patimur in hac Vita, non in Originale peccatum, sed in solam Naturam referre *Lib. 7. Institut. cap. 5.*; ubi de Vita beata differens, pugnam Carnis adversus Animam, cæterasque misérias fuisse nobis illatas docet, tanquam exercendarum Virtutum occasiones: *Cur igitur, inquit, cum mortalem finxit? Ut proponeret Homini Virtutem, id est tolerantiam malorum, per quam posset premium immortalitatis adipisci.*

Arnobium autem in *Comment. Psalm. 50.* ita dicentem inducunt: *non dixit David cum iniquitatibus, aut cum peccatis genuit me mater*

mea; sed; in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis genuit me mater mea. Dicendo, matrem in suis iniquitatibus cum concepisse, in peccatis sæculi peperisse significat. Quia omne peccatum corde concipitur, & ore consummatur. Hic autem, qui nascitur, Sententiam Adæ habet, peccatum vero suum non habet. Ex duplici itaque hac Lactantii, & Arnobii Auctoritate colligit Pelagiani, & Sociniani, peccatum Originis fuisse Priori prorsus ignotum, & a Posteriori plane negatum.

Miror ego, illos tanti facere horum Scriptorum Auctoritatem, ut eam nobis in potissimo Fidei Capite, a quo tam multa, tamque gravia pendunt Christianæ Religionis Dogmata, objicere haud erubescant. Neutrum enim illorum tantam hætenus in Ecclesia obtinuisse existimationem putamus, ut eorumdem Suffragio indigere Catholicam Fidem arbitremur: imo contra, amborum Opera caute legenda esse, passim admonent Ecclesiastici Tractatores, Nihilofcius ne vel extrema, obtusiora licet, declinare tela videamur, imprimis reponimus, illum haud esse Arnobium Lactantii Præceptorem, sed Scriptorem longe recentiorum, uti ante nos Eruditi observarunt bene multi. Deinde dicimus, illum minime negavisse, Parvulis peccato, quod ex Adamo contraxerint, obstrictos esse, sed peccato, quod Voluntate propria perpetrarint. Asserit etenim, eos habere *Sententiam Adæ*: Adæ igitur culpa sibi generatione communicata illos teneri necesse est. Injuncta siquidem Sententia illa foret, nisi culpa præcederet. Quamobrem cum scripsisset: *hic autem, qui nascitur, Sententiam Adæ habet, non addidit: peccatum vero non habet; sed, peccatum suum non habet: quod Relativum suum non ad Adamum, ut falso Pelagiani putant, sed ad Actuale eorumdem peccatum est referendum, de quo superius asseruerat, corde concipi, & ore consummari: cum Originale peccatum certo certius nec corde concipiatur, nec ore consummatur.*

Quod attinet ad Regii Vatis Sententiæ Expositionem, inquam Interpretatio Arnobii parum congruat cum cæterorum Interpretum, & præcipue Veterum Patrum Expositionibus; nihilominus arbitror, admitti posse absque ullo Catholica Veritatis incommodo; quia multitudinis numerum ibidem usurpans, non Originale, quod unicuique est, sed Actualia peccata, quæ plura esse possunt, videtur excludere. Hincque solummodo evincitur, Hominem non generari cum peccatis Personæ, quæ sola corde concipiuntur, & ore consummantur.

Ad Lactantium facilis Responsio erit, si dicamus, illum eo loci calamitates, quas patimur in hac Vita, sumpsisse in ordine ad finem, ad quem conducunt; non autem in ordine ad causam, seu radicem, ex qua sobolescunt. Is enim contra Philosophos ibidem probandum susceperat, Hominem propter Deum, & Mundum hunc aspectabilem propter Hominem fuisse conditum. Hoc autem Principio multiplici ratione statuto, tandem eodem *Cap. 5.* propositam sibi ab Epicuro Difficultatem resolvit: *cur videlicet, si tantum Honoris Homini Deus contulit, ut ejus causa Mundum hunc fabricaret, mortalem illum, fragilemque condiderit?* Asseritque, id Deum voluisse, ut Homines malis iis urentur ad exercitium Virtutis, & meritum præmii: *ut ad illud æterna Vita ineliquibile premium summa cum difficultate, & magnis laboribus pervenirent.*

Lactantio itaque satis fuit indicare Philosophis illis finem a Deo Opæ Max. inspectum, quam fragili Corpori immortalem Animam indidit: nec ei opus fuerat, altiorum causam, peccatum

catum videlicet Originale, in medium asserre, ne nova hac difficultate statim deterriti, a Christiana Fide amplectenda longius accerentur, quos ipse gradatim ad Veritatis notitiam perducere conabatur. *Œconomia* igitur causa Originis Vitium silentio prætermisit Lactantius: at illud minime inficiatus fuit.

Elifis jam, quantum sufficit, ut opinor, Pelagianorum, atque Socinianorum Momentis ex Patrum Veterum Auctoritate delibatis, probatoque Originalis peccati Dogmate, ceu longe ante Augustini tempora in Ecclesia credito, ac prædicato, de pœna subinde eidem debita, qua nempe Parvuli ante Baptismatis lavacrum decedentes in altera Vita puniuntur, superest disputandum.

In hoc porro Argumenti genere, quod amplum fatis erit, pertractando nostra in sequentibus defudabit Industria.

PRÆLECTIO V.

Parvulus cum Originali peccato morte sublatos Animi pœnas perferre, interno videlicet dolore, ingenitque tristitia ob amissam Beatitudinem affici, propugnatur.

DE Originali peccati Natura, ejusque in omnes Adæ Posteris transfusione diximus in ante habitis, dum ultimas Prælectiones haberemus. De pœna modo eidem peccato debita nobis differendum est; seu (quod in idem recidit) de pœna, qua Pueri Sacro Baptismate non abluti, quibus videlicet solum inest Originale peccatum, in altera Vita puniuntur. Grave istud est Theologica Disputationis Argumentum; in quo nedom Theologos, sed & Ecclesie Patres hinc inde in Partes oppositas abire videas, Scholaramque Præceptis alios in Infantium Causam mitiores, severiores alios, prout quisque suo Genio fertur. Quid nos in tanto Opinionum consensu pro capto nostro sentiamus, ea perpicuitate exponemus, eaque Argumentorum vi comprobabimus, ut nihil omnino eorum, quæ ad Institutum attinent, omittamus.

Triplex itaque pœnæ genus in altera Vita ferre Theologi solent. Pœnam Damni in una Divina Visionis privatione sitam docent; pœnam Animi in tristitia, internoque dolore reponunt, quo factam hujusmodi Felicitatis jacturam, aliaque inde plura sequuta incommoda doler Animus; pœnam denique Sensus eam dicunt, quæ medio sensibili Instrumento quovis modo intelligitur. Neque enim eo nomine nuncupatur, quasi per eam pœnam soli Sensus corporei torqueantur: sic enim Animæ separata, ipsique Demones corporeorum Sensuum expertes pœna sensibili minime torqueantur; sed Sensus pœna dicitur, quia ab igne sensibili inseritur: quo non modo Sensus corporei, verum & Spiritus cruciantur; cum sit ignis ille Divinæ Virtutis Instrumentum. Catholicorum vidi neminem, qui Parvulus solo Originali peccato infectos pœna Damni affici non admittat. Imo Pelagiani ipsi, quibus ignotum erat Originale peccatum, Parvulus sacro Baptismate non ablutos a Regno Cælorum, ubi solum Animæ puræ Dei conspectu perfruunt, procul arcebat, Christi Sententiam reverit Joann. 3: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei.* Non desuere tamen inter Hæreticos, qui id inficiari ausi fuerint. Hos inter numerandus primus in ordine Vincentius Victor, quem S. Augustinus Lib. 1. de Origine Anima cap. 9., & Lib. 3. cap. 13., durius exagitat. Numeran-

das etiam proximis temporibus Zuinglius in Declaratione de peccato Originis ad Urbanum Rhegium; quem alii Lutherana, & Calviniana Sectæ sequuti sunt, Bucerus, Petrus Martyr, Calvinus ipse, qui Filiis Fidelium, tamen minime baptizatis, supernam Beatitudinem largiuntur; quam Zuinglius omnibus etiam Infidelium Filiis concedendam existimavit. Eam Hæresim singulari concertatione confutare hic non est opus; tum quod nihil in sui præsidium Sectatores ejus afferre soleant; tum quod ex iis, quæ occasione cæterarum pœnarum prolaturæ sumus, potiori jure confutanda veniat & ipsa.

Cæterum de Animatorum, ac Sensuum pœnis longe aliter recentiores Theologi communiter sentiunt. Pueros sacro Baptismate non ablutos iis omnibus liberalius absolvent, quod eas pœnas Originali peccato minus debitas arbitrentur. Verum pios illos, ac misericordes Puerorum Causæ Patronos studio in D. Augustinum, ac reverentia non æque affectos observo. Alii, quos pudet Augustinum Adversarium sustinere, eundem, velite nolite, suas in partes pertrahere moliantur; alii, quibus minus cordi est Augustiniana Doctrinæ studium, cum sentire aliter ultro fatentur; sed ab ejus partibus stare, religione veluti se prohiberi ducunt, ne in Pueros inhumani præter modum esse videantur. Quinimo non desunt, qui D. Augustinum, quem ad versæ Sententiæ potissimum defensorem agnoscunt, peculantius inculcent, uti Puerorum tormentum minus æquum, & Hæresis Pelagiana debellatorem minus cautum; qui studio disputationis abreptus non modo Parvulos Originali peccato faucios a Regno Cælorum exules voluit; sed & pœnis tum Animi, tum Corporis cruciandos existimavit, debitos limites prætergressus, & in extremum Errorem incaute prolapsus.

Nos longe aliter pronunciamus: ac sicuti certo scimus, nihil Parvulis Mundo sulatis vel prodesse Theologorum in sentiendo Misericordiam, vel obesse in pœnis adjudicandæ Severitatem; ita multum Ecclesie interesse existimamus, si semotis humanis affectibus Augustini Catholicam Causam adversus Pelagianos agentis Sententiam ab Emulorum calumniis, atque censuris vindicemus. Quare, tamen vulgarem recentium Theologorum Assertionem, qui Pueros Originali peccato infectos sola pœna Damni affici volunt, probabiliter jure frui concedamus; D. Augustini nihilominus Assertionem, qua illos insuper & Animi, & Corporis pœnis addicit, uti probabilem admodum, propugnandam aggredimur; uti rutam, & ab omni censura remotionem, vindicandam suscipimus.

A pœnis Animi ducam exordium; Puerosque ob unum Originale peccatum a Regno Cælorum excludos interno Animi dolore cruciari, ingenitque tristitiam de amissa Cælesti Felicitate perferre demonstrabo adversus recentium Theologorum hallucinationem, qui cum illos a Regno Cælesti exules fateantur, nulla tamen ob id tristitia affectos existimant. Ac primo quidem, D. Augustinum tristitiam, Animique dolorem ob factam Felicitatis æternæ jacturam in Parvulis agnovisse, usque adeo planum est, ut vehementius mirer, Theologos aliquos aliter pronunciantes. Is etenim Pelagianos data operâ infestatur, quod nulla Pueros illos tristitia affici dicerent ob exilium ab æterna Gloria. Ita plane Lib. 3. ultimi Operis contra Jul. cap. 97: *Quantumlibet non intelligas, quomodo Deus faciat ex eadem massa aliud vas in honorem, aliud in contumeliam: ita facit tamen, ut non faciat tertium vas vasorum, nec in honorem, nec in contumeliam.*

DISPUTATIO III. PRÆLECTIO V.

liam, quales vos esse Parvulos vultis; & in Regnum Dei non intrare imaginem Dei, nullam esse contumeliam deputatis. Ipsum enim Regnum Dei amatis, ut non ibi esse, non saltem levem pœnam credatis Homini esse, sed nullam. Non ab similitudine Lib. 3. prioris Operis contra Jul. cap. 3. eodem illos irrisorie sic excipit: Vos excellentissimi Amatores illius vitæ, quæ futura est æterna cum Christo, nullam pœnam putatis esse imaginis Dei, in æternum exulare a Regno Dei: cum si parvam pœnam esse diceretis, non esset hæc vox beati Amatoris illius Regni, sed miseri contemptoris.

Et vero, si quis Controversiam Augustinum inter, ac Pelagianos agitatam paulo penitus inspererit, dubio procul experietur, quid ea parte senserit sanctissimus Doctor. Is etenim Originale peccatum probaturus istud inter alia multa usurpabat Argumentum: Optimus ac iustissimus Deus non potest infontem, & immeritum Puerum pœna plectere: gravissima autem pœna plectitur Pueros sacro Baptismate non ablutos; privatione scilicet Regni cælestis: non itaque sunt infontes, sed aliquo peccato tenentur, quo pœnam hujusmodi mereantur. Quod Argumentum ut effugerent Pelagiani, nullam esse Parvulis pœnam reprobant, exulare a Regno Dei; eosque nihil ea de causa dolere, atque tristari discebant: ut hinc videatis, procul ab Augustino Scholasticos illos abiisse, qui Pueros nullum ob illud exilium dolorem pati putant; eosque ad Pelagianorum Paradoxum propius accessisse.

Reponet fortassis Cavillator aliquis, D. Augustinum exilium a Regno Dei pœnam idcirco vocitasse, quia secundum sese Damni pœna est, ut pote summi Boni privatio; tamen non sentitur a Pueris, nullumque illi dolorem, ac tristitiam incurrit. Verum de pœna hoc sensu accepta non disputavit cum Pelagianis SS. Doctor. II quippe, cum acutissimi essent, nequaquam inficiabantur, exilium a Regno cælesti, ut nudam Divini conspectus privationem importat, esse in sese maximum damnum, ac malum, ut Schola loquitur, privativum; sed nullam Parvulis pœnam esse gariebant, quod nullum illis dolorem incurrit. Nec quidquam hoc suo Argumento de Deo iusto Judice concessisset Augustinus, ut peccatum Originale demonstraret, si eo duntaxat sensu exclusionem a Regno Dei pœnam vocitasset; videlicet privativam: damnum enim, quod quisque subit in amissione boni, in tantum pœnam infert, in quantum sentitur ab eo; si enim non sentitur, nulla illi pœna est; uti patet in Pueris, vel Amentibus, quorum bona dilapidantur, patiuntur enim malum; sed non sentiunt, neque dolent, quia nesciunt. Pœna vero, a Judice præfertim iniicit (de qua loquitur Augustinus) non dicit malum, prout est nuda privatio boni, nulla habita consideratione Rei, qui castigatur; sed significat id, quod est malum, & pœnale Reo, quatenus illi dolorem ingerit, seu inferendo, seu subtrahendo, quod Reus nolle.

Sed quid hæc moror? Augustinum audiamus, an non pœnam intellexerit, quam vere patiat, ac sentiat Parvulus non ablutus; cuius nempe inflicciónem torqueatur, & doleat: *Si hoc eis non erit malum (ait ille Lib. 6. contra Jul. cap. 10.) non esse in Regno Dei; non ergo amabunt regnum Dei tot innocentes Imagines Dei. Si autem amabunt, & tantum amabunt, quantum Innocentes amare debent Regnum ejus, a quo ad ipsius imaginem creantur, nihil ne mali de hac ipsa separatione patientur? En pœnam, qua torquentur, seu malum, quod est ipsa separationem sentiunt. Quin etiam ratio ipsa, quam usurpat hic Augustinus, Serry Tom. IV.*

hoc idem evincit: Ideo enim pœnam esse separationem ostendit, quia bono, quod amatur, Pueros privat: at pœna, quæ sentitur ex amissione boni, quod amatur, habet profecto rationem pœnæ affligentis, torquentis, cruciantis eum, qui bonum amat, quo se privatum experitur. Unde & Serm. 294. de Bapt. Parvulorum cap. 6: *pati Parvulos probat, & cruciari ob exclusionem a Regno Dei, quia si amatur Patria, magna pœna: si autem non amatur Patria, peior est cordis pœna. Parvum malum est in Homini corde, qui Societatem non querit Sanctorum, qui non desiderat Regnum Cælorum? Si non desiderat, pœna est de poveritate: Si autem desiderat, pœna est de fraudata charitate.*

En Augustini Sententiam non modo in aperto positam (quæ Facti Quæstio est) verum etiam luculentissima ratione demonstratam; quod alterum instituta Exercitationis Caput erat. Dolere enim Animo Parvulos, atque tristari necesse est, si Felicitatem amissam & agnoscunt, & amant. Agnoscere porro, & amare necesse est; quia ex quo tenellis Corpusculis solute sunt Animæ, ista plena, & integra cognitione fruuntur, communemque Animarum separationum conditionem sortiuntur.

Mirum quot hic choreas agant Scholastici & recentiores, & veteres, ut eam Augustini rationem elidant. Sunt qui dicant, Parvulos ignorare in altera Vita, quam fecerunt, Felicitatis æternæ jacturam; quia cum supernaturalis Felicitas sit, naturali Animalium separationum cognitione attingi non potest; eaque idcirco de causa nullum illis ex ea jactura dolorem inferri. Rationem hanc a se ipso obiter usurpatam Quæst. 5. de malo art. 3. ex Instituto oppugnat Doctor Angelicus in 2. Sent. dist. 33. Quæst. 2. art. 2., ubi Pueros in altera Vita perfectam adeo cognitionem habituros docet eorum, quæ naturali cognitioni subjacent, ut æterna Vita privatos se esse cognoscant, causamque ipsam, quare ab ea exclusi sunt.

Et certe tamen æterna Felicitas, ut specialiter in intima Dei Visione sita est, naturali Animalium separationum cognitione attingi non possit; potest tamen sub communi ratione boni, & ultimi Finis. Ita plane Theologi communiter sentiunt. Id porro si semel Parvuli noverint, procul dubio tristabuntur, dum eo se communi bono, & ultimo fine privatos experientur; tamen de amissa in speciali Dei Visione minime cogitent. Res exemplo comperta est: demus enim Virum, qui noverit probatorum Testium fide, se ad Regnum aliquod jus habere, a quo tamen Improborum quorundam machinatione decidisset; numquid is, amabo, non tristaretur; tamen speciatim forte nesciret, ad quodnam Imperium destinatus esset? Ita plane Parvuli isti sine Lavacro defuncti nativa cognitione norunt, se ab ultimo Fine, communique ratione boni excidisse: hoc vel uno concutiuntur, ac dolent; tamen forte nescirent, in intima Dei Visione situm esse Finem illum.

Sed & hoc ultimum scire Parvulos, nempe se a Dei Visione excidisse, verisimilis est, si minus naturali lumine, saltem Dei revelatione, quæ illis facta est; ut videlicet omnes in altera Vita Statum suum agnoscant. Alias Barbari etiam, qui nihil unquam de Fide supernaque Beatitudine audiere, dum viverent, a dolore de amissa superna Felicitate liberarentur in altera Vita; cum & illam supernam Felicitatem in altera Vita naturali intelligentia, perinde ac Parvuli, a seque minime possent, nisi illam Divina revelatione dignoscerent.

Quid plura? demus, nullo nunc pacto, ac ne qui-